



TRAGOEDIAE

SELECTAE

LATINORUM RECENTIORUM.

INSUNT

PETAVII SISARAS, MALAPERTII SEDECIAS, ET GROTII CHRISTUS PATIENS AC SOPHOMPANEAS.

MONACHII, 1845.

TYPIS J. G. WEISS.



DIONYSII PETAVII

AURELIANENSIS E SOCIETATE JESU

S I S A R A S

TRAGOEDIA.

Argumentum.

Ereptus Deo vindice multis iam cladibus Israel praeceps iterum ruebat in scelera, cum et poenas rursus reposcere Deo visum est. Res acta est per Sisaram regis Iabin fortissimum ducem, qui tanta vi Hebraeorum fines invasit, ut de iis conclamatum esse videretur. Audit interim suorum gemitus Debora prophetis, cumque vehementius commovetur, tandem Deo plena Baracum cum ingenti exercitu Sisarae obviam procedere iubet. Quod cum ille Debora comitante fecisset, tantum terrorem Chananaeis iniecit, ut et Sisaras de curru exiliens fuga sibi consulere deberet; qui cum tandem ad Iahelem profugisset, ab ea amice acceptus, refectus lacte, eiusque pallio opertus est, ne ab hostibus reperiretur: ab eadem demum divino numine impulsa clavo per tempora adacto trucidatus est. Ita Israeli mulieris manu parta de Chananaeis victoria est. *Ex lib. Iudicum cap.* 4.

Personae.

Michael Archangelus.
Ieriel Chananaeus.
Sisaras.
Barac.
Madian Chananaeus.
Debora.
Iahel uxor Haberis Cinaei.
Nuntius.
Chorus Judaeorum.
Chorus Chananaeorum.

Actus primus.

Michael Archangelus.

Praepes Tonantis famulus, Abramo satae
Custosque Michael gentis huc celsa poli
Submissus arce venio. Consuetus labor
Levare fessum gravibus aerumnis genus.
Per me ille quondam ductor aethereo caput
Radiatus igni, pecora dum pascit, rubo
Candente missus monstra terrifica extulit
Phariosque decies clade geminata petens
Potente virga stravit. Ex illo sacer

V. 1—120. *Προλογίζει* Michael Archangelus exemplo Euripidis. Israelem, quem saepe praesentibus periculis solverat, Sisarae tyrannide statuit liberare. Versus sunt trimetri iambici acatalecti vel senarii, hoc modo:

— , — , — , υ
υ — υ — υ — υ — υ — υ —

V. 5. Moyses post XL dierum ieiunium facie cornuta ex consortio sermonis Dei conspectus est de monte Sinai descendens. Exod. 34, 29.

V. 8. Pharios i. e. Aegyptios, a Pharo insula.

Populus rubente sospes eductus freto
Siccum per undas medius impressit pedem.
Insolita Nereus horruit vestigia
Frustraque tumidos spumeus volvens globos
In se repressus haesit. Hinc per me impius,
Aperta celeri maria dum peragrat rota
Pavidosque sequitur hostis a tergo premens,
Praeceps reductis fluctibus mersus perit.
Exin per ampla spatia tractusque invios
Sollicitus egi, flammeam attollens facem
Densaque rutilum nube subtexens diem:
Stabileque pepigi foedus et gemino dedi
Incisa saxo iura, qua celsis Arabs
Sublime collis nubibus iungit caput.
Micuere coelo fulgura et fremitu minax
Intonuit aether: stridulo emissus fragor
Terribilis aere colle sacrato procul
Gressus profanos arcuit. Lustra hinc quater
Per gemina profugos inter arentes plagas
Non fruge Cereris, non laborata dape,
Nec opima tellus sponte quos foetus parit,
Sed rore vesco; qualis herbosis riget
Pruina campis, pavi et exustis siti
Emicuit icto gelidus e saxo latex.
Post haec tot inter bella, tot cultu horridas
Animisque gentes, per tot errorum vices

V. 12. Nereus, deus marinus, pro mare.
V. 22. Arabs collis h. e. Sinai.
V. 31. Vesco antique i. q. pasco.

Promissa quondam patribus in regna intuli.
Per me retortus amnis in sese vagas
Compressit undas: rursus et vetera horruit
Prodigia, medio limes impressus vado est.
Quid reliqua memorem? Victa quam late patet
Chananaea tellus: fracta, superata omnia.
Hinc qua tepentes proximus sentit Notos
Indomitus Amalech, regna ad usque fertili
Opposita Syriae, quaque tot clade urbium
Infame pelagus fluctibus salsis riget,
Allophylae ad oras gentis, his sedem tribus
Posuere bissex finibus: pulsi incolae,
Viduata populis oppida; huc sparsus tremor,
Quo bella posthac. Quid? quod imperio Ducis
Defixus orbe Phoebus in medio stetit
Et laxa cohibens frena suspensis diu
Haesit quadrigis, quinque dum campo sequens
Patente reges victor Isacides quatit?
Sed ista quorsum? quid iuvat bello efferas
Domuisse gentes, sede promissa frui,
Si sic futurum est? sponte si patitur iugum
Novoque toties premitur exitio genus
Tanti redemptum? Si leves metuit deos:
Et falsa cultu numina incesto colit?
Pro caeca nimium corda! pro vecors furor!
Infida soboles! Siccine excidimus tibi?

V. 46. Tribus bissex sc. duodecim Israelis.
V. 49. Ducis sc. Iosuae.
V. 52. Cf. Ios. 10.

Sic pacta temeras iura? Sic verum abnuis
Coelo tremendum pariter et terris Deum?
Qui certa nutu sidera immoto regit?
Cui servit orbis? cuius imperio vagos
Fluctus coercent maria, stat nullo obice
Immota Thetys tumida convolvens freta?
Huic muta praefers signa, quae fuso artifex
Conflavit auro, silice vel scabra exprimens
Supplex tetendit, qua modo effinxit, manum?
Queis lucis expers oculus, et patulas sonus
Nequidquam in aures funditur, nullo pedes
Gressu cientur, rigida nil palpat manus,
Clamorque nullus faucibus vastis meat?
I nunc, et alta coelitum sede advoca
Agmen profanum. Veniat excitus Baal
Pavidumque referens turpis Astarte pecus.
Cur vota cessant? Commodum illuxit dies,
Optata quo se numinis virtus probet.
An nulla inertes vota sollicitant deos?
Satis hoc superque rebus experti asperis,
Quid vana possint monstra? Cum premeret Syrus
Lothique post hunc stirpe cognata satus

V. 76. Baal, Bal, Bel (dominus) summum Chaldaeorum, Babylonioruni, Phoenicum et Carthaginiensium numen, Sol. Astarte dea Syra, cuius figura aut cornuta erat (ut Luna) aut in piscem desinens; quare Syri eius cultores piscibus abstinebant.

V. 82. Syrus sc. Chusan Rasathaim rex Mesopotamiae; cf. Iud. 3, 8.

Moabenus Eglon? Sed pius praesto fuit
Dextraque miseros vindice eripuit Deus.
Ceneus illum ductor, hunc ferrum manu
Utraque stringens me duce oppressum dedit
Ieminaeus Aod. Parta mox iterum salus.
Sexcena duro vomere allophylum inclytus
Samgar peremit capita. Tum ne sic quidem
Edomita plebis corda. Gentiles deos
Rursum et nefanda sacra furibundi appetunt.
Nec inulta ferre scelera contempto diu
Licuit Tonante. Saevus apprime statim
Chananaeus ultor sequitur. Arentes comas
Bis adulta decies falce deposuit Ceres
Totiesque fusa Libanus immaduit nive,
Immanis ex quo victa Chananaei iugum
Isacia proles patitur et iussa impio
Tributa regi pendit. Ast ille aerea
Armata falce plaustra concutiens rapit
Trahitque profugos. His super miseri gemunt
Seroque tandem gravibus edocti malis,

V. 84. Eglon rex Moabitarum.

V. 86. Ceneus i. e. Othoniel filius Cenez. Iud. 3, 9.

V. 88. Aod filius Gerae, filii Jemini, qui utraque manu pro dextera utebatur. Iud. 3, 15.

V. 90. Iud. 3, 31: Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de Philistiim sexcentos viros vomere: et ipse quoque defendit Israel.

V. 95. sqq. cf. Iud. 4, 1. sqq.

Quod restat unum, numen iratum prece
Lacrymisque placant: ille pactorum memor
Dubiisque praestans quam solet rebus fidem
Mihi bella mandat. Laetus imperium exequor.
Parum est tyranni colla servitio trucis
Eripere. Victis maius hoc instat decus,
Hosti ut rependant paria nec cedant prius,
Quam opima rege spolia prostrato ferant.
Dux his salutis foemina, auctorem ut probet.
Neque hoc peractum viribus credat suis
Hebraeus. Adero: certa pugnantis regam
Tela atque inertes fortibus coeptis manus
Armabo propere. Prima disiectas fuga
Lapidothis acies sternet: excipiet ducem
Somnoque pressum perimet Haberis Iahel
Generosa coniux. Agedum in exemplum para
Ingens opus scissoque nil levius mari.

V. 117. Lapidothis h. e. Debora Lapidothi uxor, prophetis.

V. 121. Chorus (Iudaeorum) queritur Israelitas tot adversis casibus Deo vindice ereptos a Sisara tam graviter premi. Metrum est Sapphicum minus, usque ad vs. 156. Inde sequuntur versus Sapphici, interposito hic atque illic Adonio. Versum Sapphicum

— ́ v — v — ́ v v — v — v̄

ter repetit sequente Adonio

— ́ v v — v̄

Chorus.

Occidis partis spoliata regnis,
Isaci proles, vacuisque moerens
Urbibus saevo miseranda subdis
Colla tyranno.
Occidis per tot Pharaone merso
Monstra servatus populus, rubentis
Cuius ad nutum pelagi repressum
Constitit aequor.
Vidit impresso tremefacta Tethys
Calle siccatas peditem per undas
Currere, hinc atque hinc metuente iungi
Gurgite cinctum.
Inde flammata per inhospitales
Nube deserti sitientis oras
Ductus infestos retudit secundis
Viribus hostes.
Roscidus vastis alimenta nimbus
Depluit campis; facilisque captu
Sponte se vulgi dapibus ministrat
Lapsa coturnix.
Fonte dein largo salientis haustum
Cominus lymphae laticesque puros
Praebuit rupes iterum potenti
Caesa flagello.

V. 129. Tethys, uxor Neptuni, pro mari.

V. 131. Metuente iungi h. e. dissociabili; cf. Hor. Od. I. 3, 22. II. 2, 7.

Horruit flamma crepitante montis
Fumidus vertex, tonitruque mistus
Dispulit rauco lituus ferocem
Murmure turbam,
Iura cum saxo metuendus Ales
Duplici incidens dedit, et quaternos
Pervigil soles decies bicornis
Constitit Heros,
Quos dapis suetae laticisque totos
Immemor sacris didicit regendis
Utiles ritus, propiore gaudens
Numinis haustu.
Hoc duce armatas Arabum catervas
Stirpis ingressum profugae morantes
Non minax ferro iaculisve Moses
Fudit, at sola prece, dum reducto
Colle prospectans acies in altum
Hinc graves atque hinc subeunte palmas
Fratre tetendit.
Quin et incesto genitore natus
Concidit Moab: neque vatis illum
Lingua conducti pretiosa leto
Solvit instanti venerisque dirae
Blanda fraus iustis procerum piata
Caedibus. Perrupta sub haec Seonis

V. 149. Metuendus ales h. e. Michael archangelus.
V. 151. cf. ad vs. 5.
V. 157. Sc. Amalecitas, Exod. 17.
V. 165. cf. Num. 22. sq.
V. 169. Seon rex Hesebonis, Amorrhaeus. Deut. 2, 24. 30 sq.

Regna: tum pingui Basanaea gleba
Fertilis tellus. Iter hac peractum
Strage fumantique solo ruinas
Urbium Chami genus amnis ultra
Audiit ripas populante silvas
Acrius flamma subeuntis. Eheu!
Quantus horrendae miseris procellae
Imminet turbo! Chananaea quanto
Diffluet tellus hominum cruore!
Arma nequidquam nitidoque contra
Aere florentes acuis catervas.
Vasta nil moles iuvat aut sub auras
Moenium eductus labor et patentes
Amplius fossae, neque verberatum
Gurgite undanti latus ingruentes
            Arceat hostes.
Quippe promissas simul atque scisso
Amne Iordanis tetigere ripas,
Protinus celsas Ierichuntis arces
Arietis nullo volucrisque saxi
Turbine impactas litui canorus
Egit in terram fragor et per orbem
Ferculo gaudens praeeuntis Arcae
Pompa septeno revoluta gressu.
Hinc Palaestinas volitans per urbes
Fama grassantis trepidos ruinae
Miscuit reges facilesque vinci
Stirpis Abramo genitae cruentis
            Praebuit armis.
Nec tamen pugna neque militari

Magna pars cessit superata ferro.
Quippe delectum genus ante densa
Nube crabronum volitavit agmen;
Quod truci stridore furens acuta
Cuspide hostiles cuneos abegit.
Quantulo vires hominum Tonantis
Corruunt nisu! Quid adacta totis
Tela bellanti potuere nervis?
Quid polo ac terris pelagoque in hostem
Robur effusum? Face quas ruinas
Ederet vindex trifida aut hiantis
Pondere terrae?
Quondam et exertis validus lacertis
Perculit diris inimica monstris
Castra, seu ruptis iaculata grando
Nubibus foeda quateret procella,
Sive anhelantes medio quadrigas
Sisteret Titan spatio diemque
Longius iusto traheret potenti
Voce suspensus. Nova regna tantis
Clara portentis adiit propago.
Sed ferox ultra retinere Princeps
Haud sinit gentis Bahali sacratae.
Pro nefas! tanti modo non redemptum
Concidit late genus. Heu! quid istud
Profuit iactasse decus suprema
Clade ruentes?

V. 202. Crabrones; v. Exod. 23, 28. Deut. 7, 20. Ios. 24, 12.

Actus secundus.

Ieriel Chananaeus.

Quo non potentes imperi ac decoris rapit
Flammatus ardor? Quot per aerumnas brevis
Usura sortis petitur! Alterius labor
Gradus est laboris. Triste et implicitum malum
Graviusque seipso semper. Adversi vices
Omitte fati: quaeque in ambiguo sitas
Fortuna opes convellit. Ad votum omnia
Cessisse fac facilesque pugnanti tibi
Favere Superos. Nulla non partis tamen
Sunt imperiis leviora per facinus mala.
Sed quod paratis, quamlibet culpa vacent,
Umquam fruendis tempus aut requies datur?
Secura lux est nulla, seu belli metus
Seu bella crucient. Aliud ex alio subit
Maius periclum. Saeva Lernaei lacus
Rediisse dicas monstra. Quam brevior via est
Aut cupere nihil, aut nosse cupiendi modum!

V. 1. sqq. Jeriel Ch. funestum belli exitum ominatur, et Sisarae suadere statuit, ut eidem finem imponat.

V. 3. Alterius laboris gradus est labor, alter alterum gignit.

V. 9. Quaevis tamen mala leviora sunt pàrtis per facinus imperiis.

V. 15. Hydra renascentibus capitibus monstrosa ab Hercule caesa.

Quid ante domitos aliud Isacidas Iabin,
Quam ut liber esset, petiit? Hoc votis datum est.
Tributa desiit ferre; dominantem excutit
Chananaeus. Hinc spes maior: ipsum liberi
Aggredimur hostem. Vincimus; turpem vicem
Referimus. Auxit gente bis sena suos
Sisaras triumphos. Sed neque hoc regi sat est.
Inferre gestit arma: vicinas quatit
Violentus urbes. Summa tum voti Moab
Ammonque visus. Moabum et Ammonem adiicit.
Neque hoc quidem contentus; ecce aliud parat;
Nova regna ferro quaerit. Accedit ferax
Votis Idume. Post Philisthaeum oppidis
Male quinque tectum invadit. Hac saltem tenus
Invisa sistant bella. Sed gravior redit
Iudaeus iterum, quaeque perpessus diu est,
Imperia subito renuit. Ah! metuo miser,
Quo fata vergant; dubia quo sese explicet
Fortuna. Nec quod opibus aut numero minor
In nos rebellat, hoc minus secum trahit
Sors haec timoris. Martis anceps alea est.
Nec semper iisdem infestus aut iisdem favens
Alterna reddit damna. Vicere antea
Posthac subacti. Bella nunc reparant statu
Claudenda forsan pristino: aut quidnam rear

V. 18. Iabin, rex Chananaeae, cuius dux militum Sisaras. cf. Iud. 4, 2.

V. 23. cf. Act. I. 46.

V. 30. Idumaea.

Quod tam secundis rebus audacem Israël
Lacessit hostem, quamque nostro tempore
Tam non suo quod ante sustinuit iugum
Abiicere properat? Non tot insignem ducem
Timuisse spoliis? Causa tentandi subest:
Est aliquid. Haud se hic protulit temere furor.
Nimis illa vereor numina, Aegyptus prior
Quae tremuit et quae sensit ac nosmet diu
Pertulimus ipsi. Bella tractari vetem?
Hoc aequus ille capiat? hoc miles novi
Cruoris avidus? Quippe districtus semel
Vix premitur ensis, fors ubi inceptis favet
Operaeque pretium est. Hoccine ut Princeps ferat?
Nil in rebelles statuat? At lenta potest
Regnare dextra. Mitius gentem premat:
Parebit et se sponte dominanti dabit.
Nunc ira et hostis insolens victoria
Tristisque egestas, quaeque et imbelles ciet
Feras, abactae prolis irritat dolor.
Sed temperanda haec odia. Nunc regem aggredi
Decrevit animus, nostra dum in tuto manent.
Nec me latet quam tumidus et sceptris ferox
Difficile Princeps sana consilia audiat,
Quam audita renuat. Ira ubi adversum trahit
Mentem aut cupido, quisquis ad nutum loqui
Didicit, secundis auribus tuto ingerit.
Sed me salutis cura et obsequii fides,
Vel si monentem pervicax famulum haud probet,
Consulere patriae cogit: At saevus gradum
Rebusque gestis alacer adproperat Sisar

Haberis hospes, quem Palaestinis gravem
Revocans triumphis senior Isaciis Iabin
Obiicere ducibus castra properantem iubet.

Sisaras. Ieriel.

Sis. Astris propinquum gradior attollens caput
Toto ille notus orbe; par superis Sisar;
Bello tremendus ductor et, quae pars meos
Haud minima titulos ornat, invictae arbiter
Domitorque gentis, quam nec acer contudit
Pharao nec hostes mille, non populis frequens
Amalec, potensve Moabus aut pingues arans
Basanaeus agros, non Amorrhaei advenam
Fregere bella. Quin et oppressus Seon
Ogusque et Enaci mole terrificum genus
Hebraea sensit arma. Perrupta est freti
Adusque magni litus et Syriae plagas
Promissa regio: nube ceu rupta emicans
Pervadit ignis, qualis aut fracto rapax
Per plana torrens obice praecipitans ruit.
Nunc ille regum victor et rerum potens

V. 76. Sisaras rerum successu tumidus delere parat Israelem. Jeriel frustra eum deterret.

V. 82. Amalec, cf. Act. I, 157. Moabus s. Moabitae, Basanaei et Amorrhaei populi australi et orientali Palaestinae parti finitimi. V. Num. 22. sq. Deut. 2, 9. sq.

V. 84. Seon, cf. Act. I, 169.

V. 85. Ogus, rex Basanaeorum de stirpe gigantum, Hebraeis Enaci. Cf. Deut. 3, 1. sq.

Mea iura populus Marte perdomitus tremit.
Mihi victus uni est bisque iam capitis decem
Imposita pendit pretia. Nec sola fuit
Cum gente bellum: victus et gentis Deus.
Cui scissa iactat maria, quo terras duce
Penetrasse ad istas fertur, hic nostris tamen
Impar trophaeis cessit et potior Baal
Captiva subigit numinis colla advenae.
Hoc hoc peregi, nulla quod longo dies
Extinguat aevo, nulla cui sese hactenus
Aequare divum facta, nulla hominum queant.
Phlegraea quamvis bella et excussos face
Trifida gigantes memoret aethereae potens
Dominator arcis, colle cum aggesto stetit
Animosa pubes tela centena manu
Iaculata totidem. Pars quota est nostri Mimas
Acerque Rhoetus decoris aut Siculo specu
Clausus Typhoeus? Nempe mortales deo
Vicisse facile est: vicimus superos genus
Mortale. Nec te nebride accinctum latus,
Implicita molli iacula tractantem manu,
Imbelle numen, conferam, extrema licet
Tellure victor regna subdideris novo

V. 93. Bis decem. Jud. 4, 3: Per viginti annos vehementer oppresserat eos (Israelitas).

V. 103. Phlegra, urbs Macedoniae, ubi gigantes in Iovem bellum orsi sunt, quorum tres hic nominantur.

V. 111. Nebride (νεβρίς) h. e. pelle hinnuli cinctum sc. Bacchum, Indorum domitorem.

Sub sole posita, decolor fulvum bibit
Qua populus amnem. Quidquid opponas parum est
Victo Israeli. Nunc, quod in dominum ferunt
Nescio quid ausos struere nec dociles regi
Absente Sisara, summus anteactis labor
Iungatur. Huc me Marte distractum extero
Transferre Princeps arma quamprimum iubet
Malisque fractos premere, quo vetera excidant
Animosque praesens rapiat in sese dolor.
Proin de rebelli gente, dum ferrum calet,
Properanda poena est. Miles ad nutum subit
Mecum arma capere suetus, imperium sequi,
Tot vincere annos; victus aut numquam aut duce
Devictus alio. Signa vel contra deos
Ductore Sisara iussus extemplo feret.
Nunc ille praeda onustus hostiles greges
Post me catena victor imposita rapit,
Populosque iactans viribus fractos suis,
Quos dives Arabum collis oppositos tegit,
Graditur triumphi more. Condixi locum
Valle in propinqua, qua rapax currit Cison.
Nihil morae esse credo nec quemquam fore,
Sisarae ut resistat, cuius exanimis metu

V. 133. H. e. in australi Arabiae Petraeae parte sitos, vel Aegyptios. Cf. Act. 1, 22.

V. 135. Cison est torrens de Itabyrio (Tabor) monte cadens.

V. 137. Cuius metu exanimis (quisquam) nec fixis luminibus tela stricta feret.

Nec stricta fixis tela luminibus feret
Contra feroces pavidus, in pavidos ferox.
Semel aggredi armis vincere est. Sed quid struat
Hebraea soboles, fare: cur tanto fuit
Revocandus opere miles? *Ier.* Imperium palam
Et pacta capitis pretia non ultra ferunt.
Sis. Quae spes novis oblata consiliis movet?
Ier. Nihil malis iam deesse, quod gravius luant.
Sis. Quid levius ante fuerat? *Ier.* His saltem modum
Sperare fatis: longa quod minuit dies.
Sis. Milesne ad arma scriptus? an nondum coiit?
Ier. Et castra vallo cominus iacto insidet,
Qua celsum in auras culmen attollit Tabor.
Lectum omne gentis robur hac fortis tenet
Statione Debora. *Sis.* Digna degeneri duce
Plebs servituti nata. Vecordes tribus
Vilis coercet mulier. En qui se maris
Frenasse iactant spatia, qui mundi iubar
Ipsumque medio sistere in cursu diem
Vulgo feruntur, rore deciduo ferax
Quos nimbus aluit, nostra qui regna occupant,
Quorum arma utrique proximus sensit freto,
Hos saga nutu foemina imbelli regit
Et iura populis reddit. En laudum seges
Immensa Sisarae! mole vincendum ardua
Muliebre regnum restat. Ergo hostis pudet,
Quo turpe vinci est; vincere aut nullum decus

V. 150. Tabor mons Galilaeae.

Aut rege minus est. Una victorem iuvet
Dirae ruina gentis. *Ier.* Haud culpes ducem,
Si certa noris: maior humana indoles
Coeloque propior. Qualis aut Cynthi iugis
Gelidique ripas propter Eurotae soror
Phoebea graditur. Illa sublatis gravem
Humeris pharetram gestat et tota deas
Cervice supra est: gente sic illa eminet
Potens in omni mulier. *Sis.* In promptu est fides.
Praestare quantus inter ignavos labor?
Ier. Haud ista tales regna sensere advenas.
Sis. Hoc hoste metuam? *Ier.* Docuit Aegyptus tamen
Quam sit timendus. *Sis.* Bis decem interea mihi
Famulatur annos. *Ier.* Pluribus Pharao premens
Obtinuit. Hinc Chusanus et Moabi recens
Regnator Eglon. *Sis.* Fortis ex illo sciet
Quid inerte domino distet. *Ier.* Alieno sapit
Quisquis periclo, ne suo sapiat cavet.
Sis. Parum hinc pericli est: Bella fac ausos, diu
Qui aut unde tolerent? Rara populatas colit
Urbes iuventus; reliqua pars vacuis latet

V. 167. Humana est abl.

V. 168. Cynthus mons Deli insulae, ubi nata est Diana.

V. 169. Eurotas fluvius prope Spartam ex Maenalo monte prolabens.

V. 179. Chusanus, v. Act. I, 82.

V. 180. Eglon, v. Act. I, 84.

Dispersa campis saxaque et sylvas laris
Inops cibique complet; exusta est seges
Et adusta flagrant arva. *Ier.* Quin vires dedit
Ipsum hoc dabitque, quod nihil genti est super,
Cui metuat aut cui parcat. *Sis.* At nondum periit;
Et hoc furori restat. *Ier.* In miseros nimis
Qui saevit, armat. *Sis.* Ne quid exinde ingruat,
Obstare facile est. Vasta disiectis dabo
Moenibus et ante quidquid intactum eruam.
Ier. Sic nulla per tot praemia aerumnas petis?
Sis. Servire discent. *Ier.* Nempe quos nullos iubes
Esse, ut tui sint. *Sis.* Vacua sublato advena
Regna obtinebit dives exercens solum
Nostras colonus. *Ier.* Nilne te gentis movet
Terribile numen? *Sis.* Cuius infregi minas
Roburque domui? *Ier.* Cuius infrenis manum
Niliaca monstris horruit tellus decem:
Cum iussa liquidis turpis emersit vadis
Camposque texit rana; cum infestus cynips
Et avidus isto pulvere exsiliit culex;
Cum strage fudit pecora et infusus cinis
Horrenda sparsit ulcera; excepit vorax
Locusta. Quid vel stagna sanguinea loquar
Infecta tabe? quasque vel posses manu
Palpare tenebras? prole quid tandem domos
Seniore vacuas? Ille diductis fretum
Patefecit undis; ille mersas fluctibus

V. 186. Laris inops h. e. sine tectis.
V. 204. Cynips (iphis) musca canina.

Involvit acies, terga dum incautus premit
Pharao. Propinquos adspice: hic veteris, Sisar,
Monimenta cernes cladis; hic quantas furens
Exercet iras disce, qua pugnat manu.
Sis. Inanis iste terror: hunc vecors sibi
Ascivit animus. Turpe dum vinci aestimat,
Deum esse in hoste finxit. Et, verum ut putes,
Cessisse quantum est viribus numen meis?
Ier. Ne crede victum. Cedere ad tempus solet
Quo gravius olim infestet. *Sis.* Ulcisci genus
Rebelle timeam? Sceleris ut nullas sui
Poenas Hebraeus referat? Hoc quidnam amplius,
Si victus essem, paterer? *Ier.* Id ne sis vide.

Baracus. Sisaras.

Bar. Magnanime Princeps, regna quem late tremunt
Chananaea, missi huc stirpis Isaciae duces
Non bella ut ante, iura vel victis truces
Metuenda ferimus. Pristinum invidit decus
Fortuna: quidquid restat ex illa, unicum
Miseris levamen, vota portamus tibi
Gemitusque. *Sis.* Sic vos regis imperium movet?
Bar. Quod facere nequeas qui imperat, fieri vetat.
Ferri iubes tributa. Iussis obsequor.
Cedo unde iubeas? Qua peti parte imperas

V. 226. Barac (filius Abinoemi e tribu Nephthali) victori Sisarae fit supplex, a quo tamen cum insigni fastu reiicitur.

Quod detur? Oppidisne, quae vestris ruunt
Adusta flammis? Avidus exhaurit domos
Populator et quod inde subtractum est sibi
Periisse reputat. Nec satis propere genus
Concidere nostrum queritur. An frugum satu
Vitisque, queis non saeva praedonum manus
Abstinuit? Ardent culta. Vix natas cremat
Virente culmo torridus segetes vapor.
Succissa passim vitis, evulsae arbores,
Suisque tellus strata seminibus vacat.
Ut abacta sileam pecora deque ipso boves
Demptos aratro, magna pars caeso iacet
Cultore sterilis. Irritus quosdam labor
Deterret, hosti serere dum soli piget.
His capitis addas pretia? Si vitam exigis,
Praestare possum: quidquid hanc praeter fuit,
Pridem abstulisti. Posce quod nondum tuum est.
Quid sponte miseros ludis? *Sis.* Haud quidquam
Mutare. Fas sit an nefas, fieri volo. [libet
Bar. Violenta numquam imperia perpetuo vigent.
Sis. Sint vera saltem, donec etiamnum vigent.
Bar. Iniqua saevus iussa qui cogit sequi,
Saepe aequa victus patitur. *Sis.* Abscede ocius
Frenosque recipe. Iussa ni peragis, feram
Haud verba contra. Perdam et aequabo solo
Vestri reliquias generis. *Bar.* Haud deerit suis
Regum ille domitor, cuius expavit manus
Aegyptus undis mersa diductis videns
Infesta profugis agmina; hoc freti auspice
Perstitimus. At te numinis tanti metus

Subeat. Inultum nullus hunc contra tulit
Facinus. *Sis*. Nihil me vana perterret dei
Imbellis ira, cuius infractum mea
Virtute robur cecidit. Hinc porro exigam
Tellure adempta: quique iam vestris Baal
Prope unus aris colitur, in reliquum genus
Imperia penitus sparget. *Bar*. Averso prius
Iordanis amne referet in geminos pedem
Fontes relapsus. Ante conceptos sinu
Fovebit ignes Tethys, infandum scelus
Quam mente capiam, iura quam cultu impio
Sacrata violem, pro quibus patriam velim,
Natos, parentes, coniugem, vitam dare.
Sis. At pars tuorum maior hunc templis deum
Adscripsit, hac tu solus e turba sapis?
Bar. Vesana plebes quolibet praeceps ruit
Facilisque flecti est, quam metus, spes aut furor
Aut imperantis nutus in partem rapit.
His me remittam? stulta servilis sequar
Arbitria vulgi? stabo vel tota unicus
De gente: vitam rapere ab invito potes.
Auferre mentem non potes. Mecum adiice
Sentire quidquid Isaci e stirpe inclytum
Supraque dubiae sortis erectum vices
Pari ruinas pectore ingentes capit.
Sis. Tantosne victum spiritus numen facit?
Bar. Haud victus ille est, sponte qui vinci suos
Patitur. *Sis*. Quid illum gentis eductae piget?
Bar. Praestanda fuerant scelera. *Sis*. Cur hoste utitur?
Bar. Ut perdat hostem. *Sis*. Nemo quem perdit beat,

Bar. Ut gravius olim caderet ex alto, extulit.
Sis. Tot perdit annos? ***Bar.*** Serus ulcisci solet,
Sed ira tempus pensat. ***Sis.*** Hunc quisquam colat
Hosti faventem, quo suum perimat genus?
Bar. Tunc est timendus, cum favet sonti deus.
Sis. Me potius, ut sic libeat ulcisci, oderit.
Bar. Exigua quantis lucra pensantur malis?
Sis. Si quem ille vestris posset aerumnis modum,
Pridem attulisset. ***Bar.*** Gratior miseris salus
Aegre impetrata. ***Sis.*** Tristior votis diu
Frustra expetita. ***Bar.*** Post tot adventu ducum
Superata nostro bella, post scissum mare,
Post regna tot perfracta, promissa genus
In sede positum, cassa praesidia obiicis?
Sis. Temere ista vobis rumor affinxit vetus.
Bar. Nondum liquet de auctore? Chusanum aspice
Et amne duplici nobilem Syriae sinum.
Ubi fortis Eglon? vel Philistaeus gravi
Mactatus Anathi vomere? ***Sis.*** Addidimus satis
Aures loquenti: desine. Experiar deus
Quid vester ille possit. ***Bar.*** Haud frustra scies.
Sis. At te, superbo nostra qui fastu minax
Ultro lacessis odia, plebeium genus,
Dominumque terres, nullus exitio deus
Locusve rapiet. Tecta cultori suo
Iniecta mox communis absumet rogus.
Bar. Audere promptum est magna, difficile exequi.

V. 314. Cf. Act. I, 90.

Sisaras. Madian.

Sis. Ut quisque domitis parcit et iusto modum
Ponit furori lentus et decori timens,
Hoc sua periclo sceptra graviore implicat;
Perdenda prorsus dubia. Quod regno expedit,
Fas imperanti est. Iura privatum caput
Legesque metuat. Lex sibi et recti arbiter
Dominantis animus: quidquid huic placitum est licet.
Hinc diva solium, fama si vera est, Iovis
Astraea, et illinc cana circumstat Themis,
Ut iussa quo se cunque rectoris dabunt,
Aequum hoc putetur. Fracta cum primum iugum
Hebraea nostro Marte progenies tulit,
Perire decuit penitus. Hinc nil iam sibi
Victor timeret. Sed neci oppressos dare
Tot immerentes piguit. Hoc illi puto
Timuere facinus. Regna cum scisso fugax
Aliena pelago turba perque Arabum plagas
Et inhospitalis spatia transmittit soli,
Cui tum pepercit? cuius abstinuit manus
Dirus cruore praedo? cui vitam dedit
Cum servitute. Strage populatim domus
Arsere eadem. Periit aetatis quoque
Discrimen his sexusque: seu sparsa oppidis

V. 323. sqq. Sisaram extrema Hebraeis minitantem ambiguo Iovis oraculo terret Madian.

V. 331. Astraea dea iustitiae, et Themis dea iuris.

Involvit omnes flamma, seu captas volat
Strictus per aedes ensis et teneram fodit
Cum matre sobolem. Nec sat exhaustum mali est.
Obarata circum moenia et iactu salis
Moriente gleba marcet infelix ager.
Quae tam ferarum dira barbaries prius
Cultore caeso bella cassosque impetus
Tellurem in ipsam vertit? Hoc gentis fuit
Iter; haec secundis rebus in sese dedit
Exempla. Cur non victa quo vicit modo
Rursum opprimatur? Cur quod huic in me datum est,
Mihi in hanc negetur? iura, quae docuit, ferat.
Servire contra placuit. Esto agedum. Duces
Saltem occidissent. Cetera, ut quondam, gravi
Distenta plebes opere servitium gemens
Perenne traheret, ne quid in dominos vacet
Moliri opesque recipere antiquas paret.
Hos lenta moles teneat; hi strato aggere
Vastam imminenti flumini obiiciant moram;
Aut dura fodiant marmora aut terra eruant
Opes repostas. Moenium hos ingens labor
Sparsos per urbes dividat. Tutum nefas,
Hoc si nefas est, exequi ex usu imperi est.
Nam quis per omne tempus obsequia integrae
Praestare gentis possit? Invitos diu,
Unde audeant si subsit, haud facile premas.
Ergo haec rebelles pervicax motus ciens

V. 349. Iactu salis, v. Iud. 9, 45.

Servitia renuit. Nec suum in tempus ferox
Differetur animus: praecocem in nos impetum
Iamiam minax intentat. Et coeptum quidem
Porro ausa facinus pergat. Hoc voti caput,
Extrema regis odia ut in sese trahat, [fero
Dare cuncta pessum ut iubeat. *Mad.* Hac rursum af-
Quod parte metuas. *Sis.* Quid? *Mad.* Quod incerta
Ambage nectit. Quippe fatidicis Iovis [deus
Ut iussus adytis supplicem admovi pedem
Manifesta sortis signa venturae petens,
Una et sacerdos aderat: extemplo cavis
Vox illa latebris missa; meminisse horreo.
Bella acri Chananaei paras cum gente. Cavenda est,
Sic iubeo, iam passa iugum fortisque iuvenca.
Altera sed metuenda magis, quae priva pererrans
Pascua ab armento sese cum compare dudum
Segregat: has si tu vitaveris, auspice vinces
Hebraeos Baale et regnis potiere petitis.
Sis. Quaenam illa pestis gemina? *Mad.* Ni fallor liquet,
Ambigua quidnam fata venturum tegant.
Sis. Ecquid? *Mad.* Cavere comparem iussit bovem,
Quae priva oberrans pascua armento fugit
Passim relicto. *Sis.* Quas mihi insidias canis?
Mad. Haberis uxor nota Cinaei Iahel.

V. 385—90. Hexametri.

V. 396. Iud. 4, 11. Haber autem Cinaeus recesserat quondam a ceteris Cinaeis fratribus suis filiis Hobab cognati Moysi: et tetenderat tabernacula usque ad vallem, quae vocatur Sennim, et erat iuxta Cedes.

Sis. Quid deinde? *Mad.* Fortis mulier et quidvis manu
Audere prompta, compari dudum comes,
Secreta gente proxima nobis lares
Statione posuit. *Sis.* Quid meam in noxam parit?
Mad. Ab hac timendum fata nescio quid monent.
Lapidothis alia est. *Sis.* Convenit sexus quidem
Numerusque. Sed quod altera exitium dabit?
Ego inde quidquam verear? Est illa mihi
Cum stirpe foedus. *Mad.* Hoc mage insidiis locus,
Quo non timetur hostis. Ergo ullum putas
Cum gente fidei pignus inimica, effera
Stabile esse regi? Flamma se nivibus prius
Sociabit, ortus merget, occasus diem
Coelo reponet; ante Iordani Tagus
Miscebit undas: pace quam fida exteris
Iungatur audax populus. In praesens timor
Simulare et opibus colere potiorem iubet:
Mox, tempus ubi se dederit et sceleri locus,
Concepta promet odia. Nil prae se deos
Hominesque pensi (si palam tutum est) habet.
Animo vetusta repete, quot reges neci,
Quot regna flammis dederit. Arsere oppida
Cum cive pariter. Iunctus aetatis cruor
Undavit omnis, donec exhaustas fugax
Populator urbes stirpe complevit vaga.
Haec pacis olim foedera, has noster vices

V. 402. Lapidothis, v. Act. I, 117.
V. 410. Tagus (Tajo) Lusitaniae fluvius.

Chananaeus habuit. Disce quam servent fidem
Et quam merentur. *Sis.* Hactenus culpa caret
Cinaeus. *Mad.* At non, fors modo ad votum accidat,
Semper carebit. Prosperis rebus fides
Utcunque perstat. *Sis.* Paululum eventum iuvat
Pugnae opperiri. *Mad.* Quidquid extemplo potest
Impune peragi, saepe dilatum obfuit.

Chorus.

Heu quam difficile est posse suis modum
Votis ponere, nec plus licitis sequi
Nec divis nimium credere prosperis,
Dum curvat tumidos aura favens sinus!
Tunc quacumque datum est mobilis immemor
Fati nec dubias mente agitans vices
Expers consilii praecipitat furor,
Donec clam tacitis gressibus insequens
Iniecta Nemesis pessum adigat manu.
Dum ventis pelagi strata silentibus
Rident marmora, seu molliter adstrepens
Crispatur placidis unda Favoniis,
Vidit sepositi litoribus procul
Cultor iugeris et perpetuam ratus

V. 430. sq. Chorus (Chananaeorum) monet Chananaeos bellis victoriisque modum ut ponant. Metrum Asclepiadeum primum minus, versum Asclepiadeum sec. usque repetens: — — — ∪ ∪ — | — ∪ ∪ — ∪ ∪̲ Cf. Senec. Med. Act. I. vs. 56. sq. Thy. 122—175. Tro. 374—411.

Tranquillae faciem Tethyos, impigre
Mutavit patrios navigio lares
Ignotoque caput credidit aequori.
Verum bis Superis terque faventibus
Neptuni relegens terga liquentia,
Postquam impune ratem portubus appulit,
Mutati furias sensit inops maris
Et longi pretium temporis abstulit,
Seu mersus mediis fluctibus occidit,
Seu rem naufragio perdidit et fidem.
Sic quos continuis invidiosior
Ad summum gradibus provehit et pares
Fortunae omnipotens coelitibus facit,
Cum semper similem, semper amabilem
Sperant, ulterius tendere fervidi
Alto praecipites culmine corruunt.
Duros Isacidas, coelicolum genus,
Per tot saeva ducum funera sedibus
Eductum Phariis, tot freta naufragis
Quondam sparsa, tuo sat, Chanaan, fuit
Spem votumque supra servitio premi.
His maiora sequi mitte. Quid obrutos
Rursum Marte quatis? perdere quid paras?
Ausurosque cies? Numinis advenae
Nondum experta tibi dextera, quam gravi
Hostes concutiat mole, tegat suos?
Hoc freti profugos auspicio lares
His fixere locis. Nil validus Seon,

V. 471. Seon, v. Act. I, 169.

Nil prisca Aramidum stirpe satus Balac
Hos contra potuit tendere, nil Basan,
Nec vasto Enacides terribilis statu;
Bissena hinc populi per totidem tribus
Partita est regio finitimae latus
Praetentum ad Syriae quaque fretum urbibus
Clarum quinque manet, quas Superum furor
Flammis et pluvio sulphure perdidit.
Hac cum gente moves praelia, quae polo
Quaeque undis posuit iura furentibus?
Absiste. Heu! quid agis? Nullus in hos ducum
Impune arma tulit. Sponte necem oppetis
Rebusque properas exitium tuis.

Actus tertius.

Debora. Barac.

Deb. Vos imperata facite et ignavos metus
Excutite: nihil auctore trepidandum Deo est.
Ille aderit et pro gente dilecta memor

V. 472. Balac Sephoris filius, rex Moabitarum. Cf. Num. 22, 23. 24.

V. 474. Enacides, v. Act. II, 84.

V. 1. sqq. Debora Baracum Deo fretum iubet obviam procedere Sisarae, victoriamque Iahelis manu reportandam praedicit.

Pugnabit ultro. Bella quis pro se Deo
Pugnante metuat? Pignus haud dubiae dabit
Salutis illa tot ducum spoliis ovans
Fatalis Arca, quaeque percusso leves
Expressit undas silice demerso potens
Pharaone virga. Pars erit laudum minor
Sublata generis ultima haec nostri lues.
Licet arma Sisaras contra et innumeras agat
In nos cohortes, quot sub autumnum cadunt
Excussa silvis folia, vel denso fugam
Trans aequora urgent agmine alituum greges,
Ubi prima gelidis incubat terris hiems.
Hoc nempe victos gravius exitium premet
Maiorque sese Numinis prodet favor,
Cui dubia parent fata, qui belli regit
Faciles habenas. Ille confisos sibi
Eripiet. Agedum segnis abscedat timor.
Bar. Abest, nec ullos te duce horrescam exitus.
Deb. Sed vetera cedant probra. Quae scelere est prius
Contracta poena, scelere deposito cadet.
Facilis precanti venia, cui venia est opus,
Id si amputetur. Adspice infensus suis
Quoties pepercit. Stricta cum quateret manu
Vibrante tela, supplici evictus prece est.
Hac ille vinci gaudet. In poenam ruit
Invitus, ultro parcit. Irato Phinees

V. 29. Phinees divino commotus zelo flagitium publice commissum expiavit gladio. Num. 24, 1. sq.

Extorsit arma. Vindicem gladium movens
Unus furori restitit. Quid? cum ignea
Fornace vitulus fusili in turpem deum
Conflatus auro est, seque vesanas ciens
Choreas nefandam populus in cladem induit,
Quam facile precibus cessit! An turbae loquar
Sitientis alias murmur aut volucres novo
Questu expetitas? Una vox genti fuit
Quoties saluti! Nunc quoque, ut desit nefas,
Fuerit, supremi pacta si Regis valent.
Quacumque ritu dirus incesto Baal
Colitur, per omnes fana subvertant tribus.
Ferro recidant nemora. Nunc gentis iube
De more pavidum cedere ex acie genus.
Quicumque tectis nuper extructis venit,
Procul facessat. Vite si quisquam sata
Claudit recentem nec meti in vulgus sinit,
Quicunque thalamis miles uxorem novis
Despondit, abeat, ne quis extincto faces
Prior iugales tollat. Attonito metu
Ignavus hostem si quis armatum pavet,
Absistat illinc citius et bello vacet.
Properate. Matrum turba me supplex manet.
Hac comite superum vota concipiam patri
Affusa templo. *Bar.* Testis ille hominum sator,

V. 31. Cf. Exod. 33, 1. sq.

V. 35. Turbae sitientis murmur. Cf. Exod. 15, 24. 17, 1. sq. Num. 20, 2. sq.

V. 36. Cf. Exod. 16, 1. sq.

Me nulla nisi te bella sociata manent.
Si pergis una, rapior: abscedis, sequor
Belli fugaeque socius. *Deb.* Hoc precibus, Barac,
Tuis remitto. Nec tamen victoria
Potiere solus. Laudis hunc titulum minor
Praeripiet hostis, quamque vix credas, dabit
Finem huic labori mulier. Hac profugus Sisar
Dextra peribit. Video traiectum caput
Humique fixum. Tudite ferrato procul
Per utraque clavus tempora impactus sonat.
Exanime corpus cerno. Iam totos cruor
Inundat artus. Macte. Sic Superis proba
Populoque dextram. Pudeat exempli viros
Alacresque pugnam inite. *Bar.* Praegestit manus.

Debora sola.

Tu nunc secundo placidus haec nutu rege
Pro te tuisque bella, quem colimus pii,
Cui sacra soli ferimus. Excutere imperas
Servitia? iussa facimus. Ad bellum vocas?
Paremus. Adsis unica oppressi salus
Populi ac levamen. Quanta circumstent vides
Nos undique arma, qua tuos acie petat
Chananaeus. Illos laxa vix tellus capit:
Angustus omnis campus. Hic rigida citas
Armat quadrigas falce praepetibus rotis

V. 69. sqq. Debora Deum precatur, ut Chananaeos opprimat.

Equisque fretus. Ille Ithureum minax
Intendit arcum. Saevit hic iaculo; teres
Huic funda; gladium pars vel aeratam quatit
Dextra bipennim. Nostra te solum aspicit
Spes, sancte Genitor. Gente pro cara exsere
Dignum Tonante robur. Hoc Pharium ducem
Habes in hoste. Nil tibi fisso est opus
Pelago: minori stabit exemptus iugo
Populus; furori parce nec tota arripe
Virtute bellum. Stridulus denso culex
Tibi militabit agmine aut turpi loquax
Educta limo rana. Quid tela explices?
Cessent licet: strepentis ad sonitum tubae
Concussa sponte moenia in sese ruent.
His efferatam barbari in famulos ducis
Compesce rabiem. Causa nobiscum tibi
Communis illa est. Muneris vindex ades
Tui ipse. Regnis pellimur per te datis,
Per te occupatis. Pateris? et victor Baal,
Victum feretur Isaci Numen? Sines
Inultus ista? Surge. Nunc toto Deus
Clarescat orbe. Clade condiscant sua
Quantum Israelis Baale sit potior Deus.

Iahel. Debora.

Iah. Sacrata divis mulier, interpres poli
Fatique vates conscia, ecquam perditis

V. 79. Ituraea regio Palaestinae petrosa ad radicem Libani montis. Ituraei sagittandi arte insignes.

V. 102. sqq. Debora Iaheli divina oracula exponit; eamque ad reportandam victoriam designari edocet.

Portas salutem? Votane adspexit Deus?
An temere in auras sparsa praecipites eunt?
Deb. Respexit; et vos, certa si Superis fides,
Regno impotenti solvet. In cursu est salus.
Fatale tempus instat. Haec nobis dies
Chananaea rumpet vincla. Delectas tribus
Per me secundo Numine excitus Barac
Ad bella cogit, quaeque Nephtalios arat
Cognata campos, quaeque Zabulonem colit.
Bis quina secum millia huc tacitus rapit,
Qui culta tereti plana despectat iugo
Galilaeus illinc collis, hinc rapido cadens
Abrupta cursu saxa devolvit Cison.
Sed ante Sisarae missus orator prece
Tentavit animum: iura famulatus gravis
Et acerba gentis fata captivae querens.
At ille, cautes qualis in medio riget
Immota pelago, pulsa vel quercus leves
Perfringit auras, robore immenso tumens
Nihil remittit; bella quin ipsum ferox
Contra Tonantem tumidus imperio gerit.
Vesana rabie corda sic vindex Deus
Duravit idem, caeca qui Pharii prius
Armavit odia regis et flecti dedit
Indocile pectus. *Iah.* Perge non aequum tuo
Placare populo Numen. *Deb.* Haud vanus labor,

V. 110. sq. Iud. 4, 10. Qui accitis Zabulon et Nephthali ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Deboram in comitatu suo.

Si patria repetat iura. Mutatis dabit
Meliora, qui nunc opprimit sontes Deus.
Nec tarda voti spatia. Prostratum dies
Haec ipsa Sisaram debet ac leto datum.
Nos bella et hostis, te decus belli manet. [des?
Iah. Egone hoc capessam? *Deb.* Dubia cur titubat fi-
Nondum Tonanti creditur? *Iah.* Posse hunc puto.
Deb. Ne velle dubita. *Iah.* Petere si fas est piis,
Responsa, Vates, pande quae memoret Deus.
Deb. Hinc procul referat pedem quisquis profanus et
Execranda sacra cultu colit et infames deos. [impio
Vos, quibus dixisse fas est iussa summi Numinis,
Mentibus reponite imis: magna res agitur mihi.
Ut sacrato limini ardens supplicem gressum intuli
Vota peragens gentis et opem coelitum rite advocans,
Ter solo profusa moestum deprimo ante aras caput
Flebili voce ingemens pactique nobiscum fidem
Foederis testor. Repente concita intremuit domus,
Horrido concussa tellus ter fragore perstrepit,
Frigidus per ima currens ossa pervasit tremor.
Tum sacris mugitus ex adytis truci sonitu emicat.
Ante me subinde supera sede lapsus Aliger
Aureas quatiens volatu praepeti alas constitit,
Ore purpureo nitens: qualis corusca flammeus
Nube tractus dissilit celerique percurrit face.
Maior exin homine mox aures meas pepulit sonus:
Pone modum precibus, raptasque ad bella cohortes
Instrue; sic Deus ipse iubet. Tibi muneris huius
Mox cape Nephtalia comitem de stirpe Baracum.
Ille aderit, qui me coeli submisit ab axe

Omnipotens genitor, Chananaeaque vincla resolvet.
Ille acies contra atque hostilia castra suorum
Pugnabit pro gente animum viresque ministrans;
Falcatosque ruet currus; dux femina tantis
Rebus erit, coeptisque dabit tamen altera finem.
Haec ille: placidis inde subvectus polo
Diffugit alis, ocior ventis, levi
Somnoque similis. Dux ego his coeptis minor:
Tibi summa rerum parta. Quod superi probant
Invade mulier. Plura scrutari nefas.
Et ipsa, qua tu parte desperes, iter
Fata explicabunt. *Iah.* Commodo obsequiis manus
Vitamque et ipsa si quid est vita amplius.
Praei: capessam reliqua et auctorem sequar.

Chorus.

Hominumne fata volvi
Nutu rear Tonantis?
An caeca vis rotarum
Moderante frena nullo

V. 174. sqq. Chorus (Iudaeorum) docet miseriarum omnium causam esse idolorum cultum, monet proinde Hebraeos, ut iis spretis verum Deum colant. Versuum genus est tetrapodia iambica catalectica ⏓ –́ ⏑ – ⏑ – ⏓ vel versus Anacreonteus (dimeter ionicus acatalectus) hac forma: ⏑ ⏑ –́ ⏑ – ⏑ ⏓. Exemplo Senecae Medea vs. 849—878.

Sus deque versat orbem?
Hic ille mentis aestus
Animis frequens recursat:
Dum te pio dolemus
Gens Israele creta,
Opis auxilique egentem
Tot iam opprimi per annos,
Tot cladibusque frangi,
Frustra Deum videntes
Proavos Deique amicos
Prae te duces ferentem.
Ubi pacta tot stupendis
Olim probata monstris?
Ubi coelitum potenti
Cum Rege foedus ictum?
Promissa quid secundis
Iuvat attigisse regna
Superis? Quid execrandae
Passim vagante ferro
Viduasse gentis urbes,
Si sic trahenda praeceps
Stirps Abramaea quondam
Fueras iugoque victi
Victrix premenda regis?

Laribus procul paternis
Proles abacta moeret,
Ipsasque dirus una
Vacuat domos satelles.
Squallet relicta tellus
Cererisque fruge nusquam,

Nusquam satu Lyaei
Inopes alit colonos.
Quacunque culta agrestis
Pubes opima vertit,
Mox falce crebra adultas
Segetes metunt quadrigae;
Aut sparsus undique ignis
Rapidis adhuc virentes
Flammis perurit herbas
Sterilesque nudat agros.
Has inter occidentis
Populi graves ruinas
Ecquem suos amare,
Quod providere Numen
Rebus putes caducis?
Imo haec acerba fatu
Mala praesidemque terris
Memoremque adesse pacti
Summum probant parentem,
Qui non inulta carae
Delicta gentis aequus
Patitur levique sontes
Proprios parentis instar
Monet increpans flagello.
Mox deprecante poenam
Culpae reo ferire
Lentas manus coercet.
At quos severus odit,
Hos pertinacis irae
Laxis ruens habenis

Violentus haurit ardor.
Proin quidquid acta retro,
Ventura quidquid aetas
Tulit asperum feretque,
Non tu Deo malisve
Potes imputare fatis:
Sceleri haec statuta merces.
Huc huc satus nefandi
Seges excitata crevit,
Dum coelitum profanos
Templis greges adoptas
Et mille foeda monstris
Simulacra ceu propinquae
Contacta labis haustu
Spreto colis Tonante.
Agedum tuis, quod instat,
Poenis, Hebraea proles,
Docili iugum subire
Collo subacta disce.
Tunc esse qui fluentis
Mundi leves habenas
Nutu arbitrante torquet,
Meritisque digna lance
Neutram in partem reclivi
Sero licet rependit,
Documenta quae relapsis
In peius ante rebus
Dederas, dabis secundis.

Actus quartus.

Haber Cinaeus. Iahel uxor.

Hab. Si tempus unquam triste, luctificum, asperum
Nostraque dignum gente, dignum odio fuit
Laesi Tonantis; si qua pertaesum dies
Vitae prius conspexit et cupidum mori;
Haec ipsa demum illuxit. O Divum potens
Hominumque, quid nunc lentus et nostri immemor
Barbarica pateris sceptra captivas tribus
Atroxque domini ferre peregrini iugum?
Meruimus ista; fateor: haud temere tuus
In nos furor desaevit et noxae pares
Poenas reposcit. Sed quid hoc ipso Deus
Ab hoste meruit? Quaelibet per te exige
Supplicia: cur te hic spernat et vinci exprobret
Tumidaque inanes voce commendet deos?
Hoc scelere nostro levius? Huc iacula, huc minas
Converte potius, qua tuum nullus vocat
Celebratque nomen. Pereat infelix Baal
Baalisque cultor; gente dilecta abstine.
Te per Taraei nomen obtestor patris,
Carosque manes Isaci, et prole inclytum
Pulcra Israelem, perque legiferum ducem,
Pacti memento veteris. En lecta satus

V. 1—133. Haber suorum miserias deplorat, sibique etiam timet: animat eum uxor, et meliora sperare iubet.

V. 19. Taraei patris h. e. Abrahami, cuius pater erat Thare. Cf. Gen. 11, 27.

De stirpe populus gemina, quod dictu est nefas,
Bis lustra servit. Undique infestus solum
Populatur hostis; aret incultus siti
Heu! lacte quondam et melle distillans ager,
Sterilesque campos nulla convestit seges;
Nec laeta fructus arbor aut viridi fovet
Aprica colle vitis. Hic oleas metit
Adhuc virentes; ille crudas amputans
Destringit uvas: quaeque praedantes piget
Avehere, late squallidus torret vapor.
Opima soli terra cultori vacat.
Quid quod parentum rapta complexu ac sinu
Captiva proles trahitur et regis domum
Famularis implet turba? quam nunquam fuit
Peperisse melius. Gentis oppressae parens,
Nobis verendum Numen, ignotum exteris;
Si spes relicta est nulla, nec rebus datur
Miseris recursus, pereat extinctum semel
Quodcumque superest. Vindice flamma intona;
Imo adice si quid cladibus tantis potes.
Nam quid potes? Mortemne? Quis mortem abnuat,
Si sic trahenda est vita. Degeneres viros
Servire pretio lucis indultae iuvet:
Mihi turpe luce est gravius erepta iugum.
Iah. Unanime coniux, desine imbelli Deum
Onerare luctu. Pressius fortes decet
Obniti et undae ferre violentae impetum.
Adversa virtus robore indomito capit.
Haud est virile, dura si tollas, gradu
Perstare firmo. Placida cum nulli freta

Venti lacessunt, nullus ex imo minax
Permiscet aestus; puppe quid portum integra
Tenuisse mirum est? Artis hoc specimen, graves
Superare fluctus posse, nec vinci malis.
Hab. Haud ista pro me bella metuentem dolor
Privatus angit. Cernere incolumi licet
Patriam cadentem. Foedere hoc mecum manus
Chananaea iunxit, nostra ut in tuto domus
Et sortis extra damna communis foret.
Te magne testor generis Hebraei parens,
Non me ulla populi fata, non saevas vices
Fugisse patriae. Nullus ignavum timor
Ad haec subegit iura, sed gentis salus
Pietasque; dura sorte perculsis opem
Clam rege volui ferre. Nec me consili
Hucusque pigitum est. Supplices quoties lare
Protegere fido licuit, insontes Iabin
Quoscunque saevus pressit? Innumeris fugam
Vox haec necemque repulit. Haud aliter suis
Praemissus istinc Isaci Pharium nepos
Flexit tyrannum, sede cum patria movens
Niliaca regna plebe natorum parens
Comitante petiit. Sed mali expertem licet
Aliena tangunt damna. Me summi fides
Numinis et Arcae cura captivae movet.
Illam profanis barbarus miles trahens
Lustrabit oculis? clara tot signis ovans

V. 72. Isaci nepos i. e. Iosephus.

Monimenta pictis laetus appendet tholis?
Et hoc tueri cogar? Hanc oculis feram
Speciem? Quid ultra spiritum infelix traho?
Ad quae reservor tempora? Hoc ipsum, pius
Quod esse videor, foedere ex illo perit.
Iam nil meis prodesse nec tristes queam
Levare casus. Funditus cuncta obruet,
Ut me superstes nullus excepto pia
De gente maneat. Me quid exceptum loquor?
Eadem subibo fata; post alios cadam:
Hoc gravius aliis, clade quod tantum hi sua,
Ego omnium unus concidam. Hoc solum nece
Servare posset qualibet gravius nefas,
Si patria Baalis sacra posthabeam focis.
Huc me Iabinus saepe nequidquam prece
Pretioque trahere nixus. Elusi preces;
Oblata sprevi dona. Nunc coget palam
Vimque admovebit. *Iah.* O mihi luce hac magis
Dilecte coniux, pectore invicto pati
Quidvis prius consuesce, quam regi obsequens
In patria pecces iura: seu mortem inferat,
Obeunda mors est; seu fugam intentet, fuge
Ad usque pelagi extrema. Tecum adeo comes
Aut moriar, aut extorris hinc quovis ferar.
Hab. O casta thalami socia! Macte animo: decet
Sic ire fata contra et intrepidum malis
Firmare pectus. Mitte quam pro me geris
Sollicita curam. Nostra, quemcumque exitum
Fortuna dederit, stabilis et nullo fides
Lapsura casu rumpet obstantes minas.

Facilis mei iactura; nec tanti est se
Patriae ruinas inter et stragem inclytae
Reptare gentis. *Iah.* Sic decet fortes loqui.
Hab. Sic facere. *Iah.* Nunc te coniugem agnosco meum.
Hab. Quidvis cruentus statuat, excipiam metu
Vacuus. *Iah.* Breve est certamen: aeternum decus
Coelo repostum. *Hab.* Sive per latera exigit
Ferrum tyrannus, sive per partes rapi
Membra aut cremari iubeat, aequo animo feram.
Iah. Haec quamquam habere sic decet, prona est [tamen
In melius et secura nescio quid spei
Mens agitat. *Hab.* Utinam fallat hic qui animum timor
Sperare populi funus extremum iubet.
Iah. Quod quisque metuit, posse vix tolli putat.
Hab. Imo hoc futurum, quod cupit, nimium putat.
Qua spe salutem praecipis? *Iah.* Quam tum Israel
Habuit, per undas calle cum sicco pedes
Traiecit, aut cum squallidas Arabum plagas
Permensus ista serus in regna appulit.
Hab. An tum pepercit? pars quota incolumis fuit?
Iah. Nec penitus irae indulsit; et quantum sat est
Demum reliquit. Premere quos odit solet
Penitus, suisque parcere. *Hab.* Ignoscat precor,
Scelerique tandem faciat et poenis modum.

Iahel sola.

Faciet. Superbo rege defunctos brevi
Ut sera sic non dubia respiciet salus.

V. 134. Iahel felicem belli exitum sperat seseque ad omnia offert.

Pius ille, vel dum saevit et memores sui
Exercet iras. Culpa sanctorum graves
Dedit aliqua poenas, nulla perpetuas dedit.
Sic densa postquam nubila effuso diu
Arcturus imbre solvit aut ponto iubar
Mersura Pleias, foederis vindex polum
Serenat arcus. Sic ubi hibernis furens
Incubuit undis Auster et vastos tulit
Ad astra fluctus, sideris gemini face
Compressa ponunt maria. Sic gelidas tepor
Vernus pruinas claudit. Hac vitae Deus
Arbitria lege sancit. In partem nihil
Utramque stabile est. Abiit. Haud equidem tibi
Porro indicavi caetera. In dubio est fides,
Quo fata vergant. Magna molitur Deus.
Vel quanta nobis ore non falso canit
Monstrante coelo Debora! Quae per nos brevi
Praestanda memorat! Maius est victo tamen
Sisara. Quid hoste maius est victo? Piget
Quod illa in aures tacita commisit loqui,
Quod quaerere ultra vetuit. At si quid mea
Habes in arte praesidi, haec quisquis regis
Ventura Superum, te duce en casus adest
Parata in omnes famula. Quem nostris fore
Haec inter armis exitum ac votis putem?
Commissa dudum praelia et toto reor
Fervere campo: gestit eventum impotens
Praevertere animus. Quis per aethereas modo
Violentus auras turbo correptam vehat?
Aut quis citatis praepetem pennis rapi

In media dederit castra? Pars utinam feror
Ut esse decoris aliqua, sic Martis forem!

Chorus.

Contra Superos impia quisquis
Audax animis bella capessit,
Tandem esse Deum sentit et acri
Congesta luit crimina poena.
Rupit tumidi claustra profundi
Rapidasque solo miscuit undas
Iussa rebelles late effuso
Vastare freto caerula Tethys.
Tunc sepositi foedera mundi
Confusa ruunt. Altior hausit
Montana rapax culmina pontus
Summoque ferit sidera fluctu.
Subiecta graves silva carinas
Lentis tenuit pressa flagellis.
Stringit rigidas palmula quercus
Rostrisque secant nubila puppes.
Quid cum aetheria mole sub auras
Educta Babel stetit astrifero

V. 168. sq. Chorus Deo rebelles tandem poenas dare edocet, idemque Chananaeis eventurum praedicit. Versus anapaestici: ◡◡–́◡◡– – ◡◡– –. Cf. Senec. Oed. 980—997. Herc. fur. 1063—1081.

V. 175. Tethys, v. Act. I, 129.

Propiora polo culmina tollens?
Male concordi foedere iunctos
Mista artifices lingua repressit.
Hinc fulminea face crebroque
Disiecta ruit flamine turris.
Quid Niliaci castra tyranni
Rubro memorem subversa freto?
Parumne dedit specimen fortis
Lux illa Dei? quantove premat
Tumidos hominum robore fastus?
Heu quot populi cladibus illinc
Extorta fuga est! Quot monstra tulit
Gens Isiaco sacra iuvenco,
Mox ubi densa nube profusus
Leviora culex bella peregit,
Aut ubi ranas laetisque graves
Extulit arvis virga locustas!
Cum nec medio nox spissa die,
Nec sanguinea tabe fluentes
Et mortiferi piscibus amnes,
Nec quae tenues fusus in auras
Horrenda cinis vulnera sparsit,
Rigidum possent flectere pectus:
Tunc laxatus graviora furor
Impulit arma.
Dira Pharias strage per aedes
Bacchata trucis manus Aligeri,
Quae prima patres fecerat aetas,
Stricto hanc penitus messuit ense.

V. 198. **Isiaco iuvenco** h. e. Isidi sacra Aegypti

His tu, Pharao, perfide poenis
Saperes tandem contraque Deum
Tendere iniquo Marte timeres!
Furit ille, furit; rapidisque minax
Fugitiva rotis terga fatigat.
Sed dum insolito tramite praeceps
Divisa ruit per freta dumque
Pelago fruitur non sibi aperto,
Rubris periit mersus in undis.
His te simili, Chananaea furens,
Contracta manent praemia noxa.
Licet obliqua cuspide adunci
Volitent currus, nec terra tuos
Equitum capiat peditumque globos,
Licet Abramidum sacra propago
Iam bis denos serviat annos;
Intacta licet gaza innumeras
Abscondat opes; sub signa licet
Tua conductus militet orbis:
Tandem ultricis violenta feres
Pondera dextrae.
Lux una mali prodiga tantas
Evertet opes regnaque multis
Fundata brevi subruet annis.
Nondum hibernis imbribus auctus
Nivibusque alto colle solutis,
Aggere parvo clauditur amnis.
Sed collectis tumefactus aquis
Obiecta ruit claustra, superque
Fuso campos gurgite mergit.

Sic sic scelerum compressa diu
Poena nocentes acrior urget.

Actus quintus.

Nuncius. Iahel.

Nunc. Maiora votis affero. Oppressus Sisar:
Castris potitur noster, et toto fugax
Campo vagatur hostis. Insequitur furens
Foedaque victor strage desaevit Barac.
Pro se ille vindex generis Hebraei adfuit,
Egitque pavidos fulmine horrifico minax.
Iah. Quis ede Sisaram casus in praeceps dedit?
Nunc. Ut utrinque castris gemina collatis stetit
Acies et omnem milite implevit locum,
Falcata primum plaustra Chananaeus locat
In fronte Sisara; gravior in media pedes
Instructus acie; terga veteranus premit.
Hinc bina et inde cornua equitatus tenet.
At noster illinc rarius laxis agit
Ordinibus agmen, per quod effusa impetu
Innocua ruerent plaustra; firmatur levi
Latus equite utrumque: dextra Nephtalius Barac,
Media coercet Debora. Sic toto ruit

V. 1—57. Nuncius Iaheli narrat superatos esse a Baraco Chananaeos, fugatumque Sisaram.

Campo iuventus; undique arrectis seges
Horrescit hastis aeraque adverso micant
Percussa sole: mixtus exoritur fragor.
Ceu nube densa gurgite ex alto strepunt
Raucae volucres. Inde ubi pugnae dedit
Inflata signum buccina, hostilem Sisar
Aerata frontem plaustra praecipitans quatit.
Fervet citatus axis et geminum metens
Utrinque falce carpit obliqua latus
Aperitque vastum limitem. Huc illuc fuga
Praeceps Hebraeus ruere, turbatis eques
Instare Sisarae. Iamque nudatus pedes;
Iam terga dederat ala: cum tristes manus
Ad astra tollens Debora, gentilem Deum
Inclamat et, quo fugitis imbelles? ait,
Qua spe latebras petitis? Obversi acrius
Martem lacessunt. Ipsa per medios volans
Furibunda cuneos urget, hortatur, salit
Audax virago: moxque praeferri imperat
Fatale gentis ferculum, rauco tubas
Perstrepere cantu. Constitit visa procul
Chananaeus Arca, seque lymphato induit
In amica cursu tela. Pars verso suos
Mucrone feriens caede cognata furit.
Hic missa ab hoste spicula expirans trahit
Iuguloque socio condit. Hic ferrum exigens
Alterius ense fixus a tergo ruit.
Super haec fragore piceus horrendo tonat
Ruptisque crebro facibus ardescit polus.
Quas densa grando sequitur, haud qualis solo

Illisa vulgo crepitat, excussos putes
Volitare silices, funda quos torto rotat
Ibera fune. Strage quadrupedes iacent
Equitesque eadem. Tot simul domitos malis
Nephtalius urget ductor et late effera
Bacchatur ardens caede. Dat terga ilicet
Sisara, levique fervidis saltu rotis
Excutitur. Ego vix nuncium hunc vobis ferens
Per strata celerem corpora explicui gradum.

Iahel.

At at. Timoris magna pars nostri excidit.
Confecta demum bella, devictum ferunt
Dare terga Sisaram. Vicimus: tandem Deum
Chananaeus esse didicit. Haud cuncta Israel
Mentitur. Agedum utrinque divulsum mare,
Alimenta coelo sparsa, fatalis neget
Prodigia virgae. Nunc suos iactet deos.
Habet. Tonantis ira quid possit, sacri
Quid cura populi, sensit. At nondum reor
Perfunctus illis gravius aerumnis luet.
Nondum omnis abiit poena: deest aliquid malis,
Quod esse nostrum fata testantur decus:
Nisi falsa memorat Debora. Sed pars hactenus
Probata veri; victus est bello Sisar:
Addenda porro reliqua. Praesagit mihi

V. 51. Ibera. Hispani antiqui funda insignes.

V. 58. sq. Iahel somnium suum exponit, in quo sibi visa erat Sisaram ad se fugientem obtruncare.

Nescio quid animus grande: nec quid sit scio;
Nisi quod peractis maius esse aliquid scio.
Vidi egomet atra nocte, cum lentus graves
Pressisset oculos somnus, attonitum ducem
Trepidumque ad istos fugere semermem lares,
Opemque frustra petere: quem stricto aggredi
Mihi visa ferro; moxque correptum caput
Hac abscidisse dextera. Hunc credam exitum
Servasse Superos, perque tot signa eloqui?
An ille qua non pudeat oppetiit manu?
An victus acie fugit? At fugiat. Cedo.
Quid tum? Necare hunc poteris? huic dextram inferas?
Suspensus haeret animus, et gestit tamen
Et facinus ingens pectore incenso capit.
Perii: quis iste concito huc cursu volat?
Sisarasne? Is ipse est: tecta properato petam.

Sisaras. Iahel.

Sis. Men' sequitur aliquis? Occidi: hic quisnam venit?
Nemo est. Quis aures hinc meas pepulit sonus?
An potius illinc? Quo ferar? quanam accubem
In parte fessus? Tutane haec sperem mihi
Perfugia? Certe hic foedere obstrictus manet
Cinaeus Haber. Fracta tantisper iuvat
Levare membra. Numquis hinc prodit foras?
Quis aede in ista est? *Iah.* Quis meas pulsat fores?
Hem! tune Princeps? *Sis.* Aegra praecipiti labant

V. 89. sq. Iahel Sisaram fugientem excipit.

Defessa cursu genua. Sed si quid domi est
Laticis, propina. Torret exhausto sitis
Humore pectus, ora nec voci patent:
Mihi lympha nectar fuerit: hanc per te dari
Animam fatebor. *Iah.* Tecta vix tantum licet
Angusta capiant hospitem, hic lassus tamen
Paulum acquiesce. *Sis.* Grande fors pretium mo-
Hoc insidebo limen, et partes feram [rae est.
Oculos in omnes, ne quis inopinum premat.
Tu perge. *Iah.* Propero. *Sis.* Quidnam opus facto
Tectisne maneam? Forsan insidias struat: [rear?
Introque Hebraeos revocet. Excurram via
Quod restat? Aegre languidos gressus traho
Belli viaeque fessus. Insolitus labor
Et Cereris urget avida ieiunum fames.
Iah. Sinum recentis interim hunc lactis cape,
Agreste munus. *Sis.* Suavior nullus sitim
Restinxit unquam potus. Utcumque aureis
Odora pateris vina vel gemmis puer
Blandus ministrat, fructus in luxu est minor.
Sed si quis inter pascua aut stabulis equus,
Insterne. *Iah.* Quo tam subitus? I nostris age
Succede tectis. *Sis.* Victor huc hostis brevi
Aderit. *Iah.* Pavere absiste: praestabo tibi
Quidquid pericli est. Nullus invita lares
Nostros adibit; ne quis incauta, vigil
His excubabo foribus. *Sis.* Evincis. Sequor.
Quid hocce? gressus haeret: incessu labat
Pes dubius: omen vereor. *Iah.* Insuetum gravant
Decursa pedibus spatia. Tantillum afferet

Vires quietis. Sedulo interea fores
Servate famuli. *Sis.* Muneris tute id cape
Sisaramque si quis quaerat, hac passis modo
Fugisse manibus finge. *Iah.* Securum dabo.

Iahel. Chorus.

Iah. Si quaeris anime facere quid rerum addecet,
Obsequere Superis! Ecquid in medios feram
Dedisse laqueos cernis? En tantis datus,
Tantis petitus advenit dies.
Patiere segnem? Non tuam patriae dabis
Superisque dextram? Fatane incassum excident?
Mendax feretur Numen? Aude aliquid Deo
Auctore dignum, nulla quod sileat dies;
Sexumque supera. Quid? nece infanda hospitis
Sacrata violes iura? rescindas prior
Cum rege pactum foedus? Ah! facinus preme.
Ergo ille abibit vivus? hanc manibus sinam
Effugere praedam? gentis hic nostrae lues
Et hostium ingens columen et belli caput
Impune nostros dederit in casses pedem?
Sed ultum abunde Numen: est poenae satis
Fugisse Sisaram: fractus, afflictus, pavens
Supplexque nostris credidit tectis caput.
Hic, cuius armis inclytum cessit genus
Quaque adita tribubus terra bis senis patet
Cis fluvium et ultra, Marte pro Superi! iacet

V. 132. sq. Iahel Sisaram occidere statuit.

Perculsus uno. Parta iam patriae ultio est:
Concede vitam. Cur malis prohibes frui?
Adimisque morte, mille cur mortes velit?
Sed bella vereor. Regeret acceptam illico
Cladem et furori frena laxabit dolor
Pudorque stimulos addet: ut rigidos aper
Traiectus armos frendet et pavidum truci
Per tela praeceps dente venantem petit.
Accingere animo: forsan hoc magno velis
Olim redemptum. Quid quod hoc ipsum sat est,
Unde ille poenam expendat et ferrum imbuat,
Quod fecit et quod voluit? An, si fors daret
Illi, occidissem? nusquam ego infelix forem,
Nusquam Israelis nomen: huic, quoniam licet,
Non paria referam? non meos, non me impetu
Ulciscar uno? Caetera ut cessent, age,
Linques inultum Numen? Ille, ille imperat,
Hoc qui futurum cecinit. An non hoc rear
Cecinisse? Quid nunc maius extincto potes
Astruere Sisara? Funus extremum impius
Per me hostis habeat: saeva praerepto cadent
Duce bella. Eatur. Fata decretum est sequi.
Quanam exequemur? Quod genus leti placet?
Virusne dapibus misceam? an laqueo premam?
Invade facinus sola. Femineos Sisar
Iterum triumphos decoret. Inveni viam.
Proviso rerum quid agat et teli genus
Scrutabor. omne. *Chor.* Video quo vergat furor.
Mactare Sisaram statuit. Atque utinam Barac
Fortisve adesset Debora! Tam laeta edere

Indicia gestit animus. O quantum ferat
Vox illa pretii! Sed gradu attonito redit;
Ceu, cum furentem pectore excepit deum,
Insana rapitur Maenas. Hic quorsum tudes
Clavusque? quid molitur?

Iahel.

Excussi omnia:
Nihil repertum est, praestet hic teli vicem
Capitique adactus, qua necis praesens via est
Et mollis aditus, tempus affigat solo
Utrumque: captu facilis atque arcto iacet
Somno sepultus. Aperit insidiis viam
Fortuna. Iamiam invade. Proflantem audio
Toto soporem pectore. Extremum miser
Cum morte somnum iungat. Expavi, horrui.
Quo feror? Adire timeo: cor pavidum labat.
Rursum ardet ira: fortis incoeptum manus
Aggredere. Rapido huc agmen accelerat gradu.
Praeverte facinus: decoris hunc titulum rapi
Patiere? Belli sola quod superest cape.
Nunc morere et umbras cumula. In exitium pari
Leto feratur, quisquis in Superos movet
Nefandus arma. Tempora hac fixus manu
Humum momordit ore sanguineo Sisar:
Domus cruore sparsa scelerato madet

V. 188. sq. Iahel Sisaram clavo per tempora adacto obtruncat.

Largoque corpus flumine exanimum natat.
Hac ille specie iaceat, ut leti modum
Subiiciat oculis Debora. Quin vestem aggere.
Fessum accubare dicam et illusos agam.

Barac. Iahel.

Bar. Quis nunc locus? quae latebra fugitivum tegit
Sisaram? Quis illum nemore secreto avius
Eripuit oculis callis? An frustra sequor?
Effare mulier. ***Iah.*** Lassus et somno gravis
Domi est relictus. Commodum occurri tibi,
Dum castra peterem. Fusus hic molli toro
Utramque in aurem dormit. ***Bar.*** Huic cesso manus
Iniicere. ***Iah.*** Propius gradere. Sopitum vides?
Bar. O coelum et orbis spatia! quod monstrum intuor?
Clavo foratus tempora exsanguis Sisar
Iacet cruore sparsus. O felix Iahel
Haberque felix! coniuge hic: coniux Deo
Tantum imperante facinus. Est certe Deus.
Nunc domitus hostis: nunc ferox cecidit Iabin
Cadente Sisara. Solus e tanta fuit
Metuendus acie: solus ut credam facit
Vicisse me peremptus. Haud, memini, semel
Fata haec canebat Debora; feminea ducem
Dextra opprimendum. Macte longe animo viros
Praegressa mulier! ***Iah.*** Mene ego ut tali rear

V. 210. sq. Barac quem insequitur Sisaram a Iahele obtruncatum reperit.

Honore dignam? Tantulum enixa est Deo
Adigente dextra. Solus hunc titulum ferat;
Per hunc subactus hostis: hoc potui nihil
Absente: sine me potuit. *Bar.* Exanimum caput
Ferro amputetur: parta muliebri manu
Praeferre celebri fercula haec pompae iuvat.

Debora. Iahel.

Deb. Quem saepe dubii Martis eventum Deo
Correpta cecini, peperit haec populo dies.
Sisaras tenetur. Pandite has laeti fores,
Prodite, iuvenes! Hanc date amplectar ducem
Nostrum et parentem. Lilia aspergam date
Violasque plenis manibus; accumulem rosis
Illustre sexus specimen. O nostrae artifex
Salutis! Habeo quod mihi Superum sator,
Tibi ego futurum prodidi. O! quam te Iahel
Memorem? Triumphos qua tuos voce exequar
Felix propago? *Iah.* Cuncta deberi tibi
Accepta fateor. Sola dispersas tribus
Ad bella revocas. Marte Chananaeas quatis
Acies secundo. Quid quod in partes trahis
Sublime coelum? Classico excitus tuo
Coniurat aether. Prima tu Divum sagax
Arcana retegis. Voce cunctantem cies,
Animosque subicis. Iussa nil praeter meum est

V. 236. sq. Debora et Iahel laetantur occiso Sisara Deoque laudes persolvunt.

Implesse; facti gloria auctorem manet.
Deb. Quo rapior? ubi sum? Percitum sacro furit
Ardore pectus. Viscera infusum altius
Concussa spirant Numen. Impatiens Dei
Agor. Hinc profanus si quis est, cedat procul.

Canticum Deborae.

Vos qui sponte caput duri ad discrimina belli
Obiicitis, magnum laeti celebrate Tonantem.
Imperio quisquis populos nutuque coercet,
Audiat haec memorique animo mea dicta reponat.
Isacidum decus et Divum cantare potentem
Fert animus. Tu summe Parens cum celsa Seiris
Culmina desereres opulenta feracis Idumes
Arva petens, tremuit tellus concussa gravesque
Effudere imbrem nimbi liquefactaque circum
Decurrere iuga in praeceps, fluxitque soluto
Colle Sina. Ex quo se soboles Anathaea Iahelque

V. 259. spq. Canticum Deborae. Ex Iud. cap. 5. Hexametri.

V. 264. Seir, mons Idumaeae, quem incolebat Esau. Seir idem quod Esau (Gen. 25, 25.) hirsutus significat. Ios. Archaeol. 1, 19: Ὑπεχώρησεν εἰς Σάειραν. ἐνταῦθα γὰρ ἐποιεῖτο τὴν διαίταν προσαγορεύσας τὸ χώριον ἀπὸ τῆς αὐτοῦ τριχώσεως δασείας.

V. 269. Soboles Anathaea h. e. Samgar, filius Anathi; cf. Iud. 3, 31. I. e. inde a morte Aodi, quem secutus est Samgar, ad nostra usque tempora terra erat omnis infesta. Tesqua sunt loca deserta et inculta.

Extulit, haud quisquam vestigia certa tetendit
Consuetum per iter, lateque silentibus arvis
Per calles tentata via est et inhospita tesqua.
Hinc compressa virum virtus animusque resedit
Isacidum, excita est donec Lapidothis. Ab illo
Omnipotens nova bella ciet Martemque lacessit,
Oppida subvertens late portasque refringens.
At prius ecquis erat de tot qui millibus hastam
Spargeret aut clypeum adversos praeferret in hostes?
Macti animo Hebraei proceres! Vos pectore toto
Complector. Vos, qui sponte haec discrimina adistis,
Vos celebrate Deum. Qui terga nitentis aselli
Scanditis et leges populis describitis aequas,
Quosque iuvant partae peregrina per oppida merces,
Nec tectis residere licet: laudate Tonantem.
Hic ubi confracti currus vastaque perempti
Caede iacent hostes, Domini sincera canatur
Iustitia inque suam facilis clementia gentem.
Per quam iterum leges redivivaque iura frequentes
Ceu quondam ad portas videt imperioque potitur.
Surge agedum, Debora, et dulci modulare trium-
Carmine. Tuque o Nephtalia de stirpe Barace [phos
Surge agedum; captiva trahens tecum agmina longo
Ordine. Relliquias populi regnator Olympi

V. 274. Lapidothis, v. Act. I, 117.

V. 277. Indicari videtur Iud. 5, 8. omnes Iudaeos a Iabino rege armis fuisse spoliatos.

V. 289. Ad portas i. e. civitatum, ubi ius dicebatur.

Eruit et saevos bellando contudit hostes.
Dirus Ephrataeos Amalec Ieminaeaque sensit
Arma: Machiraei robur iunxere potentes.
Quique Zabulonis fraterna ab stirpe creati,
Issacharisque genus, Deboram Baracumque secuti.
At reliquae cessere tribus. Divisa Rubenus
Arva colens quidnam inter oves caulasque resedit
Securus? Placidi interea trans alta quievit
Flumina Iordanis Galaad. Dan navibus haesit
Affixus. Portuque aut litore tutus aperto
Stabat Aser. Soli patria pro gente Zabulon,
Nephtalidaeque acies in aperta pericula Martis
Obiecere animas, tereti qua culmine in auras
Arduus assurgit Tabor. Ubi castra profecti
Contulerant Chanaani duces, Tanachique per agros
Fusa Mageddonisque humentia culta tenebant,
Parcere non ulli dociles pretiumve pacisci.
Hos contra micuere polo delapsa sub auras
Fulgura, dispositaeque sua statione coruscis

V. 295. Ephrataeos sc. Iosuam potissimum ac primum, deinde Aodum e stirpe Beniamini. Cf. Exod. 17, 13. Iud. 3, 15. 27.

V. 296. Machiraei h. e. tribus Manassis. Machir enim filius Manassis primogenitus.

V. 302. Galaad terram inhabitabant tribus duae, Ruben sc. et Gad.

V. 308. Tanach oppidum in tribu Manassis cis Iordanem.

V. 309. Mageddon planities, quam perfluit Cison.

Ignibus in Sisaram venere ad praelia stellae.
Multa Cison volvit tumidis correpta sub undis
Corpora seminecesque viros, largoque cruore
Tinctus iit. Sed nos rapidum traiecimus amnem
Innocui. Fugientis equi prolapsa resedit
Ungula et excussi terram petiere magistri.
Dira Meroz terra! (Aligerum sic incipit unus)
Dira Meroz! Tene auxilio, cum staret in armis,
Non venisse Dei populo, nec castra secutam
Fortia delectumque locis ex omnibus agmen?
O felix una ante alias fortissima coniux
Haberis generosa Iahel! Tu fonte petenti
Exhaustos latices rorantia lacte dedisti
Pocula. Tu dextra tuditem clavumque sinistra
Arripis, et valido tempus cum robore utrumque
Traiicis. Ille solo afflictus largaque tepescens
Caede iacet, densaeque oculos clausere tenebrae.
Interea miseranda parens ululatibus aedes
Complebat, natique moram incusabat et, ille
Quonam abiit? dixit; cur matris gaudia differt?
Quadriiugo cur non patrias sublimis ad arces
Invehitur curru? Luctum excepere parentis
Uxorum pia turba. Harum sapientior una,
Pone metum dixit. Spoliis nunc forte potitus
Dividit hostilem praedam. Pulcerrima sorti
Eximitur virgo. Vario saturata colore
Texta legit teretique aptanda monilia collo.

V. 319. Meroz terra vicina proelii loco.

Sic pereat, qui tete odiis exercet iniquis,
Omnipotens Genitor. Sic qui te diligit, ortu
Qualis in Eoo rutilat Phoebeia lampas,
Splendeat atque aevo aeternum meliore fruatur.
Bar. Adeste comites! sacra reddantur poli
Votiva Domino. Rapite captivos greges.
Victorque pompam miles ante aras ferat.

Chorus.

Canite o iuvenum turba triumphos,
Canite invicti bella Tonantis,
Cingat viridis tempora laurus,
Palmaque dextras victrix decoret.
Tumidi rabies saeva tyranni
Fracta est pariter, fessaque longo
Hebraea iugo colla repente
Lux una gravi pondere solvit.
Valido fusas Marte cohortes
Vidit ab alto vertice Tabor,
Vastaque trahens caede cruorem
Atro tumuit gurgite Cison.
Dux illa ducum nobilis ausa est
Admista viris arma virago
Non feminea tractare manu
Trepidosque fugam vertit in hostes.
Te quoque canimus, decus Isacidum

V. 347. Chorus canit partam de Sisara victoriam. Versus anapaestici; v. Act. IV, 168.

Et Nephtaliae gloria stirpis,
Sisarae domitor, cuius Hebraeus
Ductu allophylum castra cecidit.
At te decoris pars magna, Iahel,
Laudisque manet. Reddita per te
Pax certa tuis. Duce sublato
Tandem Abramidum pestis adempta est.
Agedum patrio sacra Tonanti
Cultu memores reddite, et aras
Onerent nivei terga iuvenci,
Gratoque Arabum ture calescant.

CAROLI MALAPERTII

MONTENSIS BELGAE E SOCIETATE JESU

S E D E C I A S

TRAGOEDIA.



Argumentum.

Nabuchodonosor cum Joachinum regno movisset, Sedeciam patruum Ierosolymis regem constituit: qui fisus deinde Aegyptiorum amicitia Babylonico foederi renuntiavit, contra quam Ieremias coram et Ezechiel Babylone captivus divinitus admonerent: nam partim impiorum procerum consiliis in transversum actus, partim (ut refert Iosephus) quod duorum Prophetarum vaticinationes in speciem pugnantes esse videbantur, salubria utriusque monita contempsit; ipsumque adeo Ieremiam male mulctatum in foedissimi carceris cloacam coniici vel curavit, vel permisit. Premebantur interea biennium totum arctissima obsidione Ierosolymae a Nabuzardano aliisque ducibus regis Nabuchodonosoris, donec peste fameque dirissima civibus exhaustis Sedecias occulto itinere, praemissis filiis et coniugibus, nocturna fuga urbem deserit, cuius illa ipsa nocte hostes potiti magnam partem, ut in nocturna invasione fit, succenderunt. Victor Nabuzardanus ut primum regem dilapsum sentit, magna celeritate insecutus e fuga retrahit, et Nabuchodonosoro Reblathis agenti vinctum cum filiis sistit. Rex ferus tristissimo spectaculo filios patre inspectante trucidari, mox Sedeciae ipsi oculos effodi et inde Babylonem deportari mandat.

Personae.

Sedecias.
Nabuzardan.
Ieremias.
Nuntius.
Armiger.
Nabuchodonosor.
Filii Sedeciae.
Chorus.

Actus primus.

Sedecias. Armiger.

Sed. Imbellis, excors, gentis opprobrium tuae,
Quousque anhelum proditi ad labem imperi
Gressum fatigas? siste; iam satis est fugae,
Ignavus ut sis; aude age superbos retro
Referre vultus; nullus a tergo est metus.
Require Solymas, dubia qua montis iuga
Vix pervicaci lumina obtutu notant
Piceaque fumus nube praetexit diem.
Sic fruere regno, fruere; sic regem inclytum,
Caeloque teste strenue ignavum decet.
Pudenda comitum turba, quid letum bene
Manu merenti densa per Medum agmina
Male obstitistis? turpis officii piget.
Par est malevolo, quisquis ad probrum iuvat.

V. 1—198. Sedeciam initae fugae sero poenitet Versus trimeter iambicus acatalectus.

V. 6. Solymae et Solyma (sing. et plur.) i. q. Hierosolyma (orum) Cic.

Ruente Solyma non satis credo fuit
Necis aut sepulcri; sola per nemorum loca
Vilesque latebras quaerimus fato viam,
Dignum leaenae pabulum, indigni hostium
Oppetere dextra patriae et busto tegi.
Adeone dulce est vivere! miserum mori!
Moriamur anime, dedecus nulla satis
Morte eluendum: qua licet, nostro tamen
Sanguine luatur; qui probri haerentem nequit
Labem expiare, finiat sensum, ultima
Ferro secutus. Verte in infandum caput
Huc arma miles. Quisquis e turba voles
Patriae ruinas, liberum ulcisci necem,
Perime nocentem; rara vindicta obtigit
Tuta in tyrannum. Quisquis e turba voles
Referre meritis gratiam facilem meis,
Perime volentem: sive crudelis mihi,
Sive es benignus, commoda regi manum:
Mortem rependi praemium aut poenam rogat.
Adeste cuncti, adeste; quid frustra pii
Exhorruistis? arma, non gemitus peto.
Servate lacrymas funeri, aut patriae date
Per me ruenti! Vah pudor! nemo omnium
Aut esse iustus ultor aut gratus volet?
Ite, ite, fata quemque quo ducunt sua:
Quod quaero, promptum est: sentio qua pectoris
Imi latebras cor mihi ignavum quatit,
Illinc revellam lucis exosae moras.
Me me ille nostris, si potest, poenis satur
Parte e serena lentus adspiciat poli,

Qui probrum in omne legit Isacidum genus.
Nil fulminandum est, solus e tanto nocens
Populo supersum, certius telum hac manu
In me vibrabo. *Arm.* Magne rex, quis te dolor
Agit impotentem, vitae ut ingratus tuae
Deum lacessas? *Sed.* Ut lacessitus malum
Malus ipse perdat: diro ut aspectu levet
Caelum atque terras. *Arm.* Parce vesanis diem
Scelerare verbis, teque pietati refer.
Haec ipsa luimus scelera; delirant duces,
Plectimur Hebraei. Nempe si monitis fores
Vatum obsecutus, salva nunc staret Sion
Starentque Solymae. *Sed.* Quos mihi vates canis?
Oracla dubia nostra iam nutant fide
Pugnantque secum: vincla, Babylonem occinit.
Hinc Ieremias; inde Babylonem mihi
Unquam videndam captus Ezechiel negat;
Uterque vates, sortis auctorem Deum
Uterque iactat. *Arm.* Fateor, et dudum haereo
Mecum ipse fati dubius interpres tui;
Oracla sed quae clusa perplexis latent
Vocum involucris, ipsa per rerum explicant
Eventa sese: dum tamen sors fluctuat
Incerta, si dant fata, quaerenda est salus:
Nam cur salubris consili tantum piget?
Furor est apertum ruere in exitium palam.

V. 56. Sion summus Solymorum collis, in quo templum et arx regia.

V. 65. Clusa i. q. clausa. Cf. Senec. Troad. 317.

Sed. Pudor est inultum fugere. *Arm.* Sed si res ferat,
Necesse; fortem tempori aptari decet.
Sed. Mori fugacem? *Arm.* Fugit hac David, pudet
Sequi nepotem? *Sed.* Damno fugientem nepos.
Laudo Saulem mortis invictum metu.
Arm. Parum interest, timore quo fractus cadas.
Vitam Saul timebat, hoc victus metu est.
Sed. Probrum timebat, nemo magnanimus tulit.
Arm. Adversa ferre nemo magnanimus negat.
Imbellis ille est, sponte qui vitam abiicit
Lucemque durae sortis impatiens fugit.
Sceleratus idem, carnifex dirus sui,
Hoc parricida tetrior, quo tu tibi es
Proprior parente, fortis esse animi reor
Durare contra quidquid est durum pati.
Nec cedere retro, stare qua summus iubet
Statione ductor laudis hoc verum est decus.
Sed. Magnifica verba, macte, cui Mavors calet
Ventoso in ore, friget ad pugnam manus.
Arm. Hosti probata dextera est. *Sed.* Nobis pedes.
Arm. Ardente Solyma, vertitur vitio fuga?
Totam malorum Iliada, pestemque et famem
Memorare cogis memori? at ingrato iuvat
Memorare vel sic. Qui pedes laudas meos,
Equos requiris? fallitur quisquis putat
Solymae relictos; sessor absumptum gerit
Inusitato aenigmate sonipedem suum.
Bis Aquilo galeam sparsit hiberna nive,
Glacieque in una stupuit hastili manum
Haerere miles, bis sub aestiva cane

Animam aestuantem duximus: nondum satis
Belli aut malorum est? fare, quid prohibes dolor?
Quid anime refugis? fare et invitus tuos
Luctus retracta. Tantuli e turba sumus
Magna relicti; querimur Assyriis hebes
Ferrum tamen fuisse: cum patria iacet
Sorte invidenda, quisquis hostili manu
Animam profudit. Pestis et caelum nocens,
Ignava fata, fortium robur virum
Misere abstulistis: Solyma non uno fuit
Vincenda ab hoste. Quidquid horreri assolet
Pastus nefandi, dulce ieiunis fuit.
Ipsa ipsa mater (conscium testor diem,
Factum est, quod olim posteri factum negent
Aut execrentur,) dubia quem damnet neci,
Dum coniugem inter, inter et natum stetit,
Oblita matrem, Redde quodcumque es mei
O nate, dixit; vixque tendenti manus
Aversa iugulum pressit et cultrum impio
Defixit ictu: volvitur leto puer,
Manatque tenuis corpore exsangui cruor:
Exceptus ille est, ne quid infaustae dapis
Patri periret. Saepe ab incepto manus
Scelere resistunt; saepe se infelix parens
In facinus urget. Perge, perfectum est nefas,
Infausta genitrix; perge, quod restat pium est,
Pascere maritum: dixit et ferro secat
Medium cadaver, viscerum vellit fibras
Adhuc calentum, moxque frustatim suos
Errans per artus, per lacertorum moras

Indocta foedae membra lanienae amputat.
Et quod malorum maximum in matre arbitror,
Defossa geminis lumina in specubus rigent
Negantque lacrymas, torva, sine sensu, furens
Ut Baccha fertur; fervet undanti latex
Iactatque aheno membra; pars lento veru
Stillat cruenta, subdit invitas parens
Et hic et illic impio flammas rogo,
Partem in remoto provida recondit penu,
Et esse tanto in scelere frugalem placet.
Epulae instruuntur denique: o fatum grave!
Ultra Thyestem est aliquid, et Graium leves
Vicimus Hebraei fabulas rerum fide
Caelo pudenda. Crimine alieno nocens
Ignarus illic lancinat natos pater,
Nostri volentes: dumque praeclusae viam
Fauces malique conscium pectus negat,
Dum stomachus horret pollui infanda dape,
Pietatis omnem pertinax sensum furor
Evicit, utero mater invito suos
Foetus regessit, et reluctanti viro
Scidit epulandos. I modo, et fugam exprobra,
Victasque Solymas, querere desertos lares
Vix semivivis; proditum regnum voca,
Alimenta quando pertinax nulla invenit
Rabies edendi, ni tuos forsan dares

V. 142. Thyestes, Pelopis filius, adulterio cum Aerope uxore fratris sui commisso infamis. Huic Atreus frater filios coctos apposuit.

Natos coquinae. Sed quid hic vanis diem
Terimus querelis? fixa si penitus sedet
Mori voluntas, iungere et regno iuvat
Regem cadenti, facilis ad letum via est.
Redeamns illuc unde discessum est male,
Reddamur hosti, scilicet magno impius
Optarit emptum Medus, ut regem suis
Addat trophaeis, dubia quae merito facit
Hostis superstes. *Sed.* Num Sedecias potest
Cuiquam timendus esse? *Arm.* Si vivit, potest.
Ludum insolentem ludit et miros habet
Fortuna reditus, quosque defecit gradu,
Alterna visens rursus in stabili locat.
Sed. Opem sed unde rebus afflictis iubes
Sperare miseros? *Arm.* Unde speramus nihil.
Nec sic tamen iacemus, ut nullus queat
Erigere lapsos; mutuam pactus fidem
Socia arma iunxit, Pharia quem tellus colit
Late tyrannum; flectere huc cursum licet.
Parant amicos prospera, reposcunt fidem
Adversa. *Sed.* Poscunt, fateor; at raro impetrant.
Arm. Tentare liceat. *Sed.* Nempe Medi ut gratiam
Pharao tyranni capite mercetur meo;
Pacis redemptae victima ut vilis cadam?
Arm. Legunt quieti praesidia, miseri occupant
Quodcumque asylum. *Sed.* Cum mori tempus vocat,
Precario vixisse post regnum pudet.
Arm. Matura quamvis fata nunc regi forent,
Non sunt parenti; coniugem, natos pater
Orbos relinques? hanc tenent iussi viam

Carpuntque celeres; fida sed quoties virum
Coniux requirit? parva natorum manus
Tremente quoties ipsa cum silva tremens
Vultus reflectit, trepida quem pone audiat
Hostem an parentem? propera, ut adventu prior
Tueare inermes: sequere, qua multum tui
Via antecessit. *Sed.* Solus inflectit meos
Amor ille sensus: fateor hac victum trahis.
Pro misera pietas! cogis infelix patrem
Vitae perosum vivere, et fugam exequi
Mori obstinatum. Testor immitem Deum.
Non trepidus hostem fugio; vos, nati, sequor.

Chorus I.

Filii Prophetarum.

Impune pollicetur
Sibi impius futurum,
Quoties vibrare lentus
Trisulca tela differt
Hominum deumque rector.
Nullus memor nefandi
Fandique nostra curat;
Rapitur peritque iustus,
Premitur iacetque virtus;
Sceleri bene et scelesto est.

V. 199. sqq. Tetrapodia iambica catalectica: ⏓ –́ ⏑ – ⏑ – ⏓. Cf. Senec. Medea v. 849–878.

Adeste et innocenti
Laqueum parate mecum:
Bona undecumque praeda est.
Sic impius: sed aequa
Qui lance cuncta librat,
Non surdus ultor audit.
Raro poena fugax scelus
Claudo deseruit pede;
Compensat gravitas moram.
Iustum rebus in anxiis
Vindex aetheris arbiter
Metu et fraudibus asseret.
Frustra faucibus imminet
Ductis impia factio:
Frustra ringitur invidus,
Caeco et murmure perstrepit:
Iras denso ut in agmine
Et longos apis asperat
Non iam mellea bombos;
Aut spinae et tribuli leves
Subiecto ut crepitant foco.
Frustra consiliantium
Coetus pervigil excubant
Et linguas acuunt suas;
Serpens ut trifidis micat
Uno gutture sibilis.
    Iustus propositi tenax
Fretus numine prospero

V. 216. Claudo pede, cf. Hor. Od. III, 2, 32.

Cassos non timet impetus:
Ut qui rupis in arduo
Pastor vertice considens
Insanum mare despicit.
Astu callidus et dolo
Doli prenditur artifex:
Haeret implicitus pedem
Plagis quas male tenderat.
Haec quondam cecinit sacer
Vates sub Solymae iugis
Nervis dulce loquacibus,
Verbis lene sonantibus;
Subiectasque Sionio
Valles reddere vertici
Vocali docuit lyra
Iessaei genus inclytum.
Haec nuper Ieremias
Tetro in specu canebat,
Quo principum immerentem
Retruserant furores;
Medio e lacu monebat,
Cum vix tenace limo,
Cum vix olente coeno
Toto emineret ore:
Vel sic tamen rebelles
Regemque principesque

V. 245. Cf. Ps. 35. 36. 51. 58. 61. 63. 72 cet.

V. 252. Genus i. q. filius. Cf. Virg. Aen. IV, 12 IV, 25.

Toto increpabat ore.
Nunc aequus ille vindex,
Suam suique vatis
Ultus vicem, rependit
Regi parem scelestis
Ducibusque talionem.
Fugitant paventque anheli
Rex ipse principesque;
Fugitant paventque frustra:
Victor superbus instat,
Iam iamque terga prendit.
Dabunt, dabunt scelesti
Captiva colla vinclis,
Quae vatibus parabant.
At unus ille retro
Liber specu remissus
Bis Solyma capta cernit,
Et barbaros verendus
Refulget inter hostes.
Nusquam praesidio Deus
Fallax destituet suos:
Orbis concidat et chaos
Rerum dissolvat decus,
Illaesum caput erigent
Inter fragmina mundi.

Actus secundus.

Nabuzardan. Nuntius.

Nab. Ut pedibus alas addit et vires timor!
Vix antegressos, longa et enectos fame
Sequimur Hebraeos, plus tamen cursu valent.
Hic dubia rursus semita in plures abit.
Vos, qua renascens vix bene affulget iubar,
Properate; maior turba, qua Pharium est iter,
Mediumque Titan pendulus librat diem;
Vos ite medii, abstrusa, defossa, invia
Lustrate celeres; vile non petitur caput,
Nec praeda tenuis; unicum monitos volo:
Servate regem, regiae et stirpem domus
Tenete vinclis, quos Nabuchodonosoro
Placet exhiberi; ruite, et in vulgus truces
Saevite reliquum. Sistite hic reliqui gradum,
Captemus auras undique, haud longe reor
Abesse Hebraeos. Nae meis si laudibus
Accedat unum, currui ut iunctum meo
Regem triumphi ferculum eximium traham;
Tum me beatum et caelitum excelsissimum!
Per gemina Phoebi lustra vix fractum Ilium
Asiaeque columen dirutum Argivi canunt
Aut mentiuntur; nec meae possint tamen

V. 1. sqq. Nabuzardan fugientem Sedeciam insequitur et capit.

V. 6. Pharium iter h. e. quod in Aegyptum ducit. Cf. Sis. Act. I, 8.

Officere laudi: perfidae et nunquam satis
Solymae iacentes hac iacent stratae manu.
Puditum est Pelasgae fraudis: ut fortes decet,
Vicere Medi; quidquid ad regni caput
Tot ante regum struxit insanus labor,
Ferro recisum est: turrium immanes premunt
Suos ruinae; facta per muros via est,
Quos qui iacentes videat, haud credat tamen
Potuisse sterni. Qualis evictis furit
Obicibus amnis, cum iugo montes fluunt
Nivei soluto, miscet et caeli novas
Imber ruinas; ille per campos vagus
Vetitos, per arva fertur et tumidum undique
Diffundit agmen: talis horrendum intonans
Miles per hostem caede molitur viam,
Ferrumque et ignem stringit utrovis ferens
Exitium. Hebraei morte non una cadunt:
Hunc flamma latebris pellit, ut stricto induat
Mucrone pectus; ille dum ferrum timet
Hostile, patriis eligens flammis mori,
Mortem, sepulcrum quaerit, et domi invenit.
Solyma ululatu tota femineo sonant,
Ipsosque terror paene victores subit:
Congesta patrum decora, caelatas trabes
Depascit ardor, regiam flammae ambiunt.
Nec parcit ignis, parcere ut victor velit.
Non prohibet avidas flamma, non pestis manus:
Medios per aestus, inter ardentes globos
Semiusta miles spolia populator rapit.
Quique obstinatae taedio victus morae

Damnabat arma nuper, auro nunc gravis
Spoliisque onustus gestit, et geminis lubens
Ignoscit annis: gratius magno bonum est
Quodcumque constat, pretia commendat labor.
Sed quid moratur miles huc regem mihi
Pertrahere vinctum? salva si nostros fugit
Haec praeda casses, non satis victas reor
Mihi esse Solymas: contumax notum est caput,
Noti rebelles; rursus indomita parent
Cervice bellum: plebis ingenium ferae
Vel inde disce, liberis saturi suis
Fugiunt parentes: quis vagus campis Geta,
Quis inhospitali Caucaso, aut mediis satus
Scythiae pruinis tam ferum potuit nefas?
At quem citato video praecipitem gradu?
Libet ire contra. Fare; quo res est loco?
Nun. Dux magne salve! salva res, salva omnia.
Nab. Rex ergo captus? *Nun.* Captus. *Nab.* O laetum diem!
Vivo, triumpho; sed rei gestae ex fide
Seriem recense. *Nun.* Dum feram hinc illinc vagis
Venamur oculis, forte decusso orbita
Notata rore est, qua pedum vestigiis
Iamiam subactam gramen attollit comam;
Dum ferimur illuc et datas praedae notas
Sequimur anheli, sensit adventum prior
Rex ipse nostrum; sensit et vultum simul,
Simul arma flectens. Sistite o socii fugam,
Tenemur, inquit; non decet tergo viros

V. 64. Getae populus Thraciae et Daciae.

Excipere mortem, pectus adversum date,
Ferte arma in hostem; sic miser frustra suos
Increpitat: illi densa per nemorum impigre
Dumeta reptant, quemque qua subigit timor.
Ut abesse socios vidit et nudum latus,
Infremuit amens: aggerat furias dolor,
Furiae dolorem; nec pudor turpes sinit
Captare latebras. Ergo non dubius mori,
Per tela et agmen pronus adversum ruit;
Suaque lacessens fata, fulmineum rotat
Ensem huc et illuc, quaque pilorum seges
Cuspidibus horret densior, cursum incitat.
Qualis cruentus inter Armenias leo
Deprensus hastas, asper et dirum infremens
Cervice totas excutit fulva iubas,
Strictoque nunc hos dente, nunc illos petit.
Nos, quando iussa non sinunt aliud tua,
Eximus arte vulnera, aut clypeo cadunt.
Miratur ipse indigna tam lentos pati
Impune ab uno, cominus nullum sibi
Conserere dextram; dumque violento imminens
Furore in ictum surgit, ingentem impetum
Aereique triplices non ferens clypei moras
Dissiluit ensis, haesit ignotum intuens
Capulum atque inermem dexteram: at turba un-
Clamore in unum tota sublato volat [dique
Centumque frustra manibus obnixum premit.
Nab. Facere imperata militis primum est decus,
Non quidquid ira suaserit, temere obvium
Truncare ferro: sistere ardentem impetum

Vel inter arma, iamque libratam manum
Revocare ab ictu, cum tuba receptum canit:
Per iacta passim spolia, per fusas opes
Hostem irretorto lumine fugacem sequi,
Hoc militare est. Nunc et hoc nostrum reor,
Dispicere vestris paria quae meritis queant
Praemia reponi: faxo ne fraudi sient
Neglecta cuiquam spolia, dum sequitur ducem.
Quid vero regis liberi? an tutum tenent?
Nun. Iam puto tenentur: vix enim exiguo patrem
Spatio anteibant, ut fugaces prodere
Regis ministros mors prope admota impulit.
Nab. Sapienter istud. Emica actutum in pedes
Qua te antecedit rumor, et nostro refer
Haec certa regi; Reblathis quantocyus
Victosque Hebraeos meque victorem affore.
At at propinquo tremuit armorum sono
Concussa tellus: militem agnosco meum.
Rex ecce trahitur vinctus.

Nabuzardan. Sedecias.

Infandum caput,
Rebelle, vecors, ergo sperabas meas
Evadere manus? Siccine? incensae ruant
Tuo igne Solymae, concidat regni status,
Regisque scelera populus immeritus luat,
Dum tu malorum machinator facinorum

V. 125. Reblath (Ribla) oppidum in finibus Palaestinae in septemtriones spectantibus.

Bustumque patriae, tota quem numquam satis
Solyma obruisset, subtrahis leto caput?
At si obstinate sederat nunquam iugum
Subire nostrum, quin prius dira omnia,
Pestemque et ignes et famem et bellum pati
Et cuncta ferre, ferre quae obsessus potest,
Post strata flammis Solyma, post pestem et famem
Cui te reservas deinde? quae regna altera
Perdenda restant? melius ardentem rogum
Patriae subisses funus extremum tuae:
Rex occidisses. Perditum an tanti fuit
Superesse, posthac ut tibi frustra invoces
Mortem relictam? vile ludibrium hostium,
Vivax miseriis tempus ut quaeras tuis?
Sed. Quaecumque amarus ingeris victor probra,
Audire merui: fateor, et sero pudet.
Parum rebellis, contumax parum fui;
Res est inepta, facere perfidiae modum.
Post pertinaces hactenus belli moras,
Post tot meorum funera hoc unum dolet,
Vestro quod igne Solyma non nostro iacent.
Hac si deinceps stare non poterant manu,
Poterant perire: cuncta cumulassem prius
Quibus superbis spolia et ardenti super
Cumulo irruissem; trahere labentem omnia
Regem decebat. Nec tamen iactes tuos
Tantum triumphos; non tua victos premis
Virtute Hebraeos: Solyma consumpsit lues,
Tu diruisti: faciei et imbellis potest
Iactare flammas. *Nab.* Captus armatum improbo

Lacessit ore? *Sed.* Qui mori lucrum putat,
Lacessere hostem captus armatum potest.
Nab. Procace lingua melior, armatus fugis,
Pugnas inermis? *Sed.* Arma si reddi iubes,
Manu refellam quidquid obiectas probri.
Nab. Hoc facere Solymis decuit. *Sed.* Et factum fuit.
Nabuz. Cum prae se Hebraeos miles Assyrius canes
Ageret fugaces. *Sed.* Persicas inter nurus
Narrare captam forte cum Solymam voles;
Adversa vestris tela vix aliquot bene
Tenuisse in urbe militum larvas refer,
Quos sola macies, luridi et vultus color
Faceret timendos. *Nab.* Facile frustrari impetum
Hostilem ab altis turribus quivis potest,
Et trahere bellum. *Sed.* Facile, si ignavi obsident.
Nab. Laudes sceleste pergis argutis meas
Obterere dictis? faxo ut hic sidat tumor
Et agere victum doctus assuescas malis,
Caeca ut reclusus nocte, poedore obsitus,
Tecum ipse statuas victor, an victus sies.
Sed. Fortuna miserum facere, non timidum potest.
Exsilia, mortem, mille poenarum modos,
Quamque his et illis esse peiorem reor
Minare vitam, carcere et vinclis preme;
Exstabit animus liber, invictus, suus.
Nab. Sicte esse iubeo liberum, invictum, tuum.

Chorus II.

Filiae Sion.

Eheu quantis mersit tenebris
Solyma iratus superum Rector!
Eheu quanto turbine vertit
Celsa aetheriae tecta Sionis!
Quae surgebant aemula caelo,
Nunc aequa solo culmina fumant.
Dum prona suo frena furori
Laxat, avitae nil memor aedis,
Sacra profanis culmina miscens,
Una obvolvit cuncta ruina.
Regibus olim condita priscis
Monumenta patrum subruit ultor;
Celsis positas montibus arces,
Moenia fossis collapsa suis,
Planum Assyriis constravit iter
Nobile regum; regnique duces,
Fortia bello pectora, Medo
Dare ludibrium pertulit hosti.
Ipse ipse animos fregit Iudae.
Ipse ipse animos surgere Persis
Dedit et robur numine dextro;
Cum praecipites agitant nostros
Moenia circum, dum cuncta metunt
Obvia ferro; ceu flamma leves

V. Chor. Ex cap. 2. Lament. Ieremiae. Dimeter anapaest. acatalecticus: vv ⁄ vv _ · vv ⁄ vv _.

Agitata notis haurit aristas.
Fuit ille, fuit tutela suis:
Nunc crudelem versus in hostem
Tela infenso dirigit arcu,
Nervum adductis cornibus urget.
Figit medium, mediumque fugit
Pectus arundo morte relicta:
Quemque, ut forma et robore praestat,
Primum ignavo destinat orco.
Quas continuit pressitque diu,
Irarum omnes fundit habenas;
Ignis ut arcto fornice clausus
Furit effracto fornice victor.
Non quassa iacent ariete Medo
Moenia Solymae; murum hostili
Turresque manu Deus armipotens
Vertit ab imo: Deus ipse tuos
Iuvenes leto mersit acerbo et
Totam opplevit cladibus urbem.
Quod sibi quondam penetrale sacrum
Proprio voluit iure dicatum,
Hosti cessit praeda profano:
Ut disiectis sepibus hortus,
Quem foedarum ruit ingluvies
Vertitque suum. Nil sacra movent
Otia, festum et sabbata damnat:
Capita Superis proxima, regem et
Nihilo Mystam rege minorem,
Ludum Assyriis dedit opprobriis.
Vix nota suis ara sacrificis,

Nunquam externo violata pede,
Pervia cuique est. Atria ovantum
Undique plausus sacra volutant,
Ut cum festo carmine nuper
Personat aedes: at nunc alios
Impia pangunt agmina cantus.
  Nec praecipiti nos mente Deus
Dedit exitio; digerit olim
Haec fata sciens, neu nostra putes
Temere verti: librata suo
Aere pependit linea, Solymae
Dum tecta solo funditus aequat,
Dum celsa cadunt moenia et ipsum
Quod celsa tegit moenia vallum.
  Defossa suis aerata latet
Porta ruinis; solido vectis
Fusus aheno, sera non uno
Obdita ferro, contrita iacent.
Soliti portis iura sub altis
Reddere proceres nunc illa timent,
Quae dat victrix iura libido.
Heu ubi sanctae regula legis?
Ubi fatidicum carmina vatum?
Populo nullus ventura canit,
Aut sua vanus somnia narrat.
  Rigidis tecti corpora villis
Iacuere senes, tepido crinem
Cinere sparsi; prohibet nullus
Hoc de Solymis sumere victor.
Virgo pudicas laniata genas,

Virgo solutas lacerata comas,
Patriae sese in pulvere versat.
Tabida longo lumina fletu
Acies sensim tenuata fugit;
Intima torquet viscera luctus,
Felleum amaras iecur in lacrymas
Abit effusum, terramque rigat,
Dum tot in unam congesta diem
Mala ploramus: cum depositi
Solymae propter compita passim
Pueri dulces linquunt animas,
Pressoque infans ubere frustra
Moritur primo in limine vitae.
At quibus aetas grandior os iam
Vocemque dedit, Heu ubi panis?
Heu ubi, mater optima, vinum est?
Miseri clamant; voceque in ipsa
Defecta calor membra relinquit.
At si qua pio natum exanimem
Fovet amplexu, gremio hic matris
Animam reddens colla reclinat.
Quibus assimilem tua fata Sion?
Quibus exemplis relevare parem?
Miseri miserum hoc solamen habent,
Similis socios memorare mali.
At nemo tuis cladibus usquam
Aequando tulit. Premeris toto ut
Obruta ponto, nec opem in tantis
Quisquam aerumnis ferre laborat.
Quis ferre tamen (fac velle) queat?

Somnia vates delira tibi
Cecinit blandus, nimiumque favens
Scelera obtexit: nemo salubres
Gemitus movit, quibus infensum
Provida posses flectere Numen.
Tibi Niliacis affore ab oris
Spondebat opem, tibi Chaldaeas
Marte secundo pellere turmas;
Sed spe miseram lusit inani.
Nunc qui Solymae collapsa videt
Tecta viator, manibus plausum
Geminis tollit motansque caput,
Illane Solyma est nobilis, inquit,
Tot populorum regia nutrix?
Illane ocellus mundique decus?
Inhiant patulis rictibus hostes,
Acuunt pressis dentibus iras
Stridentque feri, sibila vibrant
Anguis ad instar. Celeres, aiunt,
Currite socii, rapite incensas
Avidi Solymas, vertite ab imo.
Quantum Isacidum est, Medum agminibus
Quantula praeda est? En illa dies
Ultima Hebraeis, festa Assyriis
Tandem illuxit. Bene habet: votis
Lucem adspicimus mille petitam
Per tam longi taedia belli.
Quaecumque Deus tibi fata, Sion,
Sanxerat olim, quae praesaga
Fuerant vates mente locuti,

Nimis heu veris rebus adimplet.
Nescius ulli parcere saevit
Durus in omnes, gaudere tuis
Dedit immitem cladibus hostem,
Celsumque tua stare ruina.
Taciti cives patriae e busto
Timidis caelum questubus implent.
Et tu miserae nata Sionis
Funde perennes oculis rivos;
Non nocte tibi, non luce tibi
Requiem indulge; madeant geminae
Usque assiduo pupulae ab imbri.
Nec te pigeat nocte silenti,
Vigilum quoties nocturna dabit
Buccina signum, duro corpus
Tollere strato serasque Deo
Dicere laudes: nivis in morem
Vere solutae Domino coram
Cor funde pium; tolle pudicas
Cum voce manus et sparsa viis
Iuvenum memora corpora totis:
Pietate Deus tangitur ista.
Adspice caelo pater Abramidum,
Aspice quam tot caedibus urbem
Viduam linquas. Ergone placet,
Quae membra manu mollia finxit,
Eadem truncet sua discerpens
Viscera mater? Penetrale sacrum
Proprio Mystae sanguine foedant,
Proprio vates; num forte iubes

Cruor ille tuas imbuat aras?

Puerum obscoenae sparsa volucres
Corpora tundunt; inhumata senum
Membra superstant: ferro pariter
Iuvenes trunci et nubilis aetas
Stravere vias. Heu saeva dies!
Semperque tua nobilis ira!
Funesta dies! quae communi
Regnum exitio regemque tulit;
Dum tu venia flecti indocilis
Sternis similis cuncta furenti.

Ut sacra Deum festa quotannis
Populi circum turba frequentat,
Non secus hostes coiere mei,
Nimium celeres tua iussa sequi.
Cinxere meos aggere cives,
Nemo ut vigiles fallere tecto
Tramite posset, nemo furoris
Immune tui servare caput.
Quae tot alebam regia mater
Gremio natos laeta superbo,
Orba, infelix, qua voce parens
Deinde vocabor? Barbarus hostis
Aetherque nocens et dira fames
Vario hauserunt funere ad unum
Cara relictae pignora matris.

Actus tertius.

Nabuchodonosor. Ieremias.

Nab. Quem, Phoebe, nostro cernis imperio parem,
Quacumque Nereus incoli terras sinit,
Seu retegis orbem melior et primis novus
Occurris Indis, spatia seu mensus poli
Currus Ibero tingis emeritos freto?
Iam ter rebelles ferre ter domiti sciunt
Victorem Hebraei; posuit Aegyptus minas
Sociasque vidit ruere et aequari solo
Quieta Solymas. Genere mortali altior,
Par gradior astris; omnis aut unum adspicit
Dominum subactus orbis, aut unum timet
Lacessere hostem; foedus Assyrium ultimi
Hominum reposcunt lege qua victi solent.
Caelum est relictum: dignus est nostris labor,
Dignus trophaeis. Iuppiter posthac mihi
Certare solus ausit, et nisi abditus
Caelo lateret, si pedem liceat pedi
Conferre, vincam. Memet habuisset ducem
Terrigena miles, qui gravi Pindum iugo
Imposuit Ossae, tertium ad superos gradum
Struxissem Olympo. Quid deum turbam moror?
Si sunt tamen di: Iuppiter caelo imperet
Ventosque sensus domitet expertes, meum est
Regnare vivis: imbribus caelum obtegat,

V. 1. sqq. Nabuchodonosor victoria elatus adversus Deum insolescit, Sedeciae insultat et dira quaeque minitatur.

Tegam ipse telis; gravior at nubes cadet
Quam concitaro: fulmen incertum vibret
Non deligenti saxa diffringens manu,
Timidosque inani territet populos sono:
Non haec trisulcum dextra, sed telum vibrat,
Quo destinatum certius figit caput.
At te quis animi devium exagitat furor
Recutite Iuda, numen ut toties meum
Demens lacessas? moveram regno duos
Reges paterno: tertium indignum aetheris
Vitalis haustu, Marte bis fractum meo,
Solio locaram; rursus intumuit ferox,
Residesque in arma compulit populos: luat,
Luat scelestus; sentiat quidquid grave
Iratus audet victor, aut victus timet.
Quaerit rebellem, quisquis ingratum male
Sceptro reponit. Nempe si invisum genus,
Natos, parentes ultor extinxem prius,
Non deinde toties aliud ex alio serant
Bellum nepotes: perfidos nasci puto,
Ut nemo doceat: nulla tam fixa inditur
Natura soboli, nulla tam certo obvenit
A patre rebelli liberis hereditas.
Bene est: tenetur tota cum catulis fera;
Nullum relinquam stirpis infandae super.
Huc pertrahantur. At quis e contra gradum
Taciturnus infert vestis ignotae senex?
Ier. Rex magne, vatem sponte captivum adspicis,
Cui dira Solymae excidia, cui totam dedit
Seriem malorum nosse regnorum Arbiter.

Ni mens fuisset laeva, fatorum minas
Pridem imminentum potuit admonitu meo
Vitare Iudas: potuit; at tumidi duces
Inauspicata tela sumpserunt manu.
Traxere bellum, cuius Assyrium quoque
Misereret hostem; plusque poenarum tibi
Volens pependit Solyma, quam possis ferus
Exigere victor. Pace sed dici hoc tua
Liceat: Suorum scelere, non vestro Sion
Excisa ferro est: alibi regnorum decus
Huc ferat et illuc aura fortunae levis;
Nostri ille Rector, cuius aeterno omnia
Nutu feruntur, imperi ad clavum sedet
Rerumque taxat moribus nostris modum.
Te, quem secundo bella successu efferunt,
Animos feroces premere, moderari impetum,
Memoremque sortis esse communis decet.
Suis ruinis Solyma quem tumidum facit,
Tumidum domaret melius; hoc Babylon loco est,
Unde illa cecidit: quique momento obrui
Imperia nosti victor, ipse mox tuo
Docere id ipsum victus exemplo potes.
Nec mille forsan ducibus aut annis moram
Facies duobus: fata quam paucis Deus
Tam lenta dixit? una nonnumquam dies
Funere triumphos mutat, et famulo ducem.
Haec tu memento; quoque fortunae altius
Te laeta tollit, levius afflictos preme:
Deum faventem metue, nec tutum puta
Efferre cuiquam contumax caelo caput.

Nab. Sua cuique dextra est, quod deum populi vo-
Ier. At illud unde est quod tuam dextram vocas? [cant.
Nab. Mene ergo terrae filium aut fungum putas?
Non sunt parentes? *Ier.* At suae parentibus
Dextrae fuerunt; unde? *Nab.* Quem captas senex,
Regem an sophistam? *Ier.* Neminem est animus meis
Captare verbis; nec tamen nostrum arbitror
Palpare reges. Rex es; at te hominem decet
Meminisse eundem: purpuram et regni notas
Natura nescit, quae sinu nudos dedit
Nudosque recipit. *Nab.* Iure nascendi pares
Fortuna post discrevit. *Ier.* An sorte haec regi,
Nutune potius mentis aeternae putas?
Nab. Fortuna magnum est numen, aut nullum reor.
Ier. Fortuna nullum est numen, aut caecum puta.
Non deligenti dona si spargit manu,
Cur colitur aris, nulla quae merita adspicit?
Frustra es colendo, demereri cum nequis.
Sin merita prudens pensat et votis favet,
Fortuna non est. *Nab.* Fata, fortunam voca, aut
Quodcumque tandem volvit humanas vices,
Nisi ille potius, quem sibi quivis manu
Sancire poterit, ordo fatorum manet.
Ier. Aequumne fuit, summus ut rerum parens,
Quae cuncta sapiens condidit, casu sinat
Neglecta ferri, ut quidlibet temere audeat
Libido inulta? num tuo morem hunc velis
Regno obtinere, regis ut nullo metu
Legumque nullo quisque quod lubitum est nefas
Designet ultro? *Nab.* Quid si et hoc mundi decus

Temere coisse nobiles censent Magi?
Cur sorte nequeat, sorte quod natum est, regi?
Ier. Sublime flammas mille qui appensas videt,
Stabilique caelos rite volventes vice
Lunae labores; solis eximium iubar
Nunc alta scandens spatia radiati aetheris,
Nunc capita gyro nostra propiori legens,
Libransque toti lance bis iusta diem
Noctemque mundo; cernere haec inquam potest
Ostenta rerum, credit et caecum chaos,
(Magis ipse caecus) cuncta dum miscet, sinu
Forte omnia extudisse? Pars mundi quota est
Vestra illa Babylon, quam tot artificum manus
Vix condiderunt? nemo, quae certa undique
Ratione constant, esse fortunae putat.
Nab. At ille Olympi si quis est rector polum
Habet, habeatque; dum tamen terras sinat
Nobis regendas: sorte divisum mihi
Non invidenda cum Iove imperium feram.
Ier. Mundi ille rector, qui tibi superbas dedit
Frenare gentes, hoc tributum regibus
Imperat, honorem et Numinis laesi metum.
Reges timendi gregibus imperitant suis,
Maior minores territat reges Deus.
Tute ipse nostrum carcere et vinclis premis:
Sibi perduelles non domet reges Deus?
Nab. Nequit rebellis esse qui nulli fidem
Obstrinxit. *Ier.* At qui condidit, cunctos sibi
Obstrinxit idem. Lege non alia sumus.
Quis cum parente pactus in manum venit,

Dicto audientem filium et frugi fore?
Dei et parentum nascimur: non vendicat
Mancipio abactum filium ut praedam pater.
Nab. At enim parentum nota maiestas palam,
Et nota regum, facere si iussa abnuis,
Vindex potestas: quod coli Numen iubes,
Si nemo novit, si scelestis integrum
Addit, et utrosvis fulminum afflatu petit?
Ier. Documentum in ingens regibus Hebraei sumus,
Quam certa Superi damna neglecti ferant.
Nec tibi superbo cuncta si ad votum fluunt,
Sic fuerit olim: vindicem agnosces Deum.
Saepe ille seram, sed gravem poenam exigit.
Nab. Longinqua narras; tempore accepto interim
Utamur. *Ier.* Ecquod tempus acceptum vocas,
Cum polliceri crastinum nemo audeat?
Nab. Cane ista Hebraeis: numina et vates mihi
Timent minari: si meis quisquam audeat
Obstare votis, obruam Mystas suis
Deosque templis. *Ier.* Obrui putris queunt
Ludibria trunci, stulta quae Persis colit:
At ille noster qui tenet caelum Deus
Nusquam tenetur clausus et nusquam deest;
Mortaliumque fata, regnorum vices,
Non fortuita caecus ex urna movet;
Sed mente longe provida rerum modum
Metasque ponit. *Nab.* Regna, regnorum status,
Martem secundum, vota in hac posui manu.
Precario regnatur, ubi capiti imminet
Maior potestas. *Ier.* Qui Deo subdi abnuit,

Regnare longum non potest. *Nab.* Possum, abnuo:
Testorque nullos esse qua regno Deos.
Abscede vates: trahitur en vinctus mihi
Rex perduellis.

Nabuchodonosor. Sedecias. Filii Sedeciae.

Tene ego infandum caput
Aspicio? sed quo perfidum cultu decet.
Hac spe paterna sceptra moderari manu
Dederam immerenti, bella ut ingratus mihi
Hostis reponas? *Sed.* Fateor, ingratum tenes,
Sontem, rebellem: dira supplicia ingere,
Ferrumque et ignes; mille per mortes neca.
Nil deprecabor meritus: at talem quoque
Aliquid rogare liberum infelix manus
Cogit parentem; parce puerorum indoli,
Et quos tenellae primus aetatis decor
Subducit irae, victor indignos puta
Quorum cruentes sanguine ultricem manum.
Non illud oro, pristinae ut sortis decus
Nomenque teneant; liberis hanc spem meis
Perfidus ademi: patere, quod captis sat est,
Servire miseros, nobili et vinctos iugum
Accipere collo. Regibus nemo hoc neget.
Sic tibi superstes vivat illa spes domus,
Aliusque solo nomine Evilmerodach
Virtute reddat, reddat et vultu patrem;
Partisque populos addat imperiis novos,

V. 197. **Evilmerodach, rex Babylonis, qui Ioachinum regem carcere liberavit eoque usus est familiarissime.**

Si quos relinques. *Nab.* Arma qui nuper ferox
Solymis rotabat, verba quam blandus iacit!
En tibi trahuntur liberi; amplexu, osculis
Lassare; sic te decuit agnosci patrem.
Fil. Pater heu! pater mi! *Sed.* Filii heu digni patre
Feliciore! quid tenellis compedes
Tentare rigidas manibus incassum iuvat?
Heu vana pietas! *Fil.* Heu pater! miser heu pater!
Sed. Ite, ite nati, Principis pectus feri
Mollite lacrymis: vestra sollicitum salus
Habet parentem, nil meas poenas moror.
Fil. Miserere Princeps, vinculis patrem exime.
Nab. Procul amoveto, lictor, invisum genus.
Pereant scelesti. *Sed.* Sceleris auctorem tenes
Reum, fatentem: parce turbae innoxiae,
Nisi si in parentem crimini pietas datur.
Nab. Iam sunt nocentes, perfidi, si sunt tui:
Tollantur hostes. *Sed.* Hoc capit nomen puer?
Nab. At capiet olim, Solyma cum generis memor
Recidiva ponet: pertinax amor hic patris
Consulere natis ante Chaldaeos suis
Penitusque belli tollere sementem admonet.
Sed. Cessat leonis, hoste prostrato, furor;
Lacerat cadaver si qua de vulgo fera est.
Nab. Prostratus hostis saepe vires integrat.
Sed. Non sic iacemus Isacidae, ut cuiquam timor
Possimus esse. *Nab.* Surgere, qui vivit, potest.
Sed. Victorem in omne lenitas vulgus decet;
Quid regem in ipsum? *Nab.* Nempe qui rex non foret,
Nisi hoc dedissem. *Sed.* Regibus fueram satus;

Hoc non dedisti. *Nab.* Fateor; hoc habeas tuum,
Quod perfidorum perfidus regum es nepos:
Cavere nostrum est ne qua damnatum genus
Soboles propaget, semper ut minoribus
Perfidia placeat maior, et inausa audeat.
Sed. Quos iam rebelles (velle fac) rursus queant
Tentare populos? Quantulum Isacidum fames
Pestisque reliquum fecerant, flammae et furor
Inimicus hausit: nulla tam grandis senem
Aetas redemit; feminam nullus pudor,
Nisi forma placuit: vix satis leti capax
Per vulnus infans matris occubuit suae,
Nascendo moriens. Sed quod indignum hactenus
Possit videri, pugna nocturnis tegit
Commissa tenebris; fecit hoc tincti semel
Ferri libido, fecit incensus dolor.
Non facile frenos ira, non Mavors capit.
Quodcumque tandem est, militum fuerit scelus;
Adhuc cruentum nulla te absentem potest
Fecisse caedes. Nunc ubi armorum impius
Resedit ardor, tollere puellos potes,
Miles quibus pepercit, et miles furens?
Nab. Hoc est quod alta luce victorem pudet,
Quod adhuc inulto nulla vindicta obtigit.
Atrox, cruentum si quid admissum hactenus,
Id noster animo miles indulsit suo;
Mihi nil litatum est: nunc meum tempus vocat
Furere furorem. Lictor, haec monstra abdito
Specu reconde, pauca dum mecum exigo,
Poenamque Hebraeae quaero perfidiae parem.

Impune ut abeant, nec mihi meritas luant
Poenas Apellae? nulla tam indecorem dies
Arguerit umquam, tamque non memorem mei.
Bene est: petebat liberis parci suis:
Pater hic tenetur; qua dolet, ferrum exigam.
Parentis oculos morte funestet sua
Invisa soboles. Numerus angustus meo
Tres sunt furori, fateor: at quotquot potest
Mortes timere, videat; et geminis statim
Luminibus orbus imprimat visum nefas,
Animoque deinceps semper infelix suos,
Luctus revolvat. Hic placet poenae modus.
Sibi superstes funus extendat suum,
Careatque luce vivus; et quidquid potest
Auferre cuiquam Parca fatalem colo
Fusum recidens, vita viventi auferat
Misera, per omnes tracta poenarum modos.
I ferrum et ignes, lictor, i mortes para.
Me regiae intus iam dapes dudum vocant.

Chorus III.

Filii Prophetarum.

Crederet quisquam? Superis honores
Invidet vecors hominum libido:
Suppares Divis pudet ire reges.
Altera exsurgit Babylone moles
Iamque vicinis minitatur astris,
Et novi caelum quatient Gigantes.

Chorus III. Versus Sapphici interposito hic atque illic Adonio.

Ille vastator Solymae, cruore
Ebrios nostro Nabuchodonosor
Pascitur thuris nebula, Deosque
Pinguis omenti procul a vapore
Aemulus arcet.
Parce terrarum Superumque rector,
Parce, si culpam satis hanc luerunt,
Parce, si nondum satis eluerunt
Aliger primi sceleris repertor,
Dum tuis certat titulis superbus,
Quique, quos unquam genuit nepotes,
Ante damnavit male cautus Adam.
Ilicet diae nitor ille lucis,
Candicans caelo rutilus novello,
Sede ab excelsa ruit ultimisque
Squallet inferni tenebris barathri.
Iste fatalem violare morsu
Ausus autumnum vetitosque doctae
Arboris foetus, miser esse primus,
Plusque quam vellet didicit malorum.
Noxa non uni stetit una magno,
Posteris dentes hodieque ab illo
Dentiunt morsu metuuntque tangi.
Creduli quondam vitio mariti
Feminae ad fraudes patuisse narrant
Pyxidem aerumnis gravidam malisque,

V. 308. Epimetheus sc. deceptus donum Pandor nuptiale aperuit.

Inde morborum incubuisse terris
Agmen et totum tenuisse mundum.
Haec fide vates memorent Pelasga
Et coli ad lumen celebrent aniles:
Eva Pandoram facit innocentem
Et capi blandae facilis maritae
Uxorius Adam.
Tempore ex illo miseranda proles
Nascimur matrum prope parricidae,
Voce testati gemituque primo
Omen infaustum genitalis horae.
Terror Alcides Nemeae ferarum
Si fuit quisquam, fuit ille quantus
Quilibet nostrum: modo natus infans
Quaesiit lucem, et gemuit reperta
Luce misellus.
Scilicet cunas puer inter arctas
Guttur elisit tumidum colubris;
Maximum credo facinus patravit
Et suo dignum Iove, noctibusque
Nequiter iunctis bene cum papillas
Uberum pressis tenuit labellis.
Nec superborum potiora nostris
Iura natales habuere regum:
Sint licet festi populo, fuere
Flebiles nato miseraeque matri.
Qui modo aurata radias corona
Squallidus gemmis, populisque circum
Sceptra moliris metuenda centum:
Qui pedum irato quoties sub ictu

Succutis terras tremulumque mundum,
Ferreos armas sonitu maniplos,
Qui datos caelo temerare rerum
Terminos audax subicis carinis
Montium saltus equitique tutum
Per freta insternis tabulata pontem:
Pone quos circumdedit apparatus
Sortis alternans favor inquietae,
Et tuis pollens opibus superbi;
Qualis a partu tenerum rubebas,
Fascia qualis puer obvolutus
Cura pendebas gerulaeque pondus,
Qualis ignotas vagus inter umbras
Sutilis cymbae referes Magistro
Ordine naulum.
Tutius Princeps animi modestus
Subdit aeterno sua sceptra sceptro,
Numinis castas veneratus aras.
Hinc caput rerum pius auspicatur,
Gratus huc laetos iterum refundit
Exitus: seu cum domito triumphans
Hoste festivas vehitur per urbes,
Seu toga clarus studiis beatae
Pacis indulget fruiturque parto
Civium tutus animis suorum.
Impotens regno Superumque temtor,
Quem iuvat toti populo timeri,
Horreat cunctis metuendus omnes.
Excubent quamvis vigilum catervae,
Haereant denso lateri cohortes,

Nulla securos vehet hora soles,
Nulla tranquillos feret hora somnos.
Qui tot incedit comitatus armis,
Vix fide incedit comitatus una.
Saepe qui regum genua advolutus
Dextera prensat, diadema fulvum
Respicit limis; inhiatque sceptro,
Qui manum blandis terit usque labris.
Immemor sortis nimis ille nostrae est,
Qui tot incertis homines rotari
Casibus cernit, renuitque demens
Cedere caelo.
At cuius ictu proximae stridunt fores?
Quis ille vultum moestus et fletu gravis,
Atro verendum cinere conspersus caput,
Nimiumque nostri similis? impexum manu
Mentum revellit; squallidam spargit comam;
Diversa iactat brachia, adductis sonat
Pectus lacertis, vestium abrumpit sinus,
Hoc more nostro: pectus appressum pilis
Intus cruentis horret. Hebraeus palam est,
Quicumque miser est. Tantulum huc secedite,
Propiusque moesti verba captemus senis.

Actus quartus.

Ieremias. Chorus.

Ier. Supreme rector cuncta qui nutu moves,
Eritne tandem gravibus aerumnis modus?
Eritne per te? Solyma, Davidis labor
Totque inde regum, pulvis et tumulus iacent;
Nos praeda trahimur, bisque dispersis nova
Exilia mandas: spatia sed terrae negant.
Non unus hostis spolia de nobis tulit,
Non una Medus; trita Babylonem via est,
Et trita Memphim: sola Iudaeis negat
Iudaea sedes, cetera exsulibus patent,
Nullumque Hebraeo vilius venit caput.
Meruimus ista fateor, et si quid potest
His esse gravius; fecimus caelum nocens
Diri nepotes; melior at Patrum tibi
Memoria subeat. Abrahae imperiis fides
Probata duris, castus Isaci timor,
Et tot Iacobi pectus invictum malis.
Pietate avita patere natorum scelus
Obliterari. Stirpe si exscindi ultima
Placet Israelem, quis tuis meritos dabit
Aris honores? quis tuas laudes canet?
Ammoniusne perfidus? nostris ferox
Medus ruinis? fuerit incassum via
Medium per aequor, aggeris structi modo
Ubi mare gemina fronte marmoreum stetit?

Act. IV. Narratur caedes filiorum Sedeciae, et Sedeciae ipsius excaecatio.

Chor. Qui sic repente fixus obtutu silet
Senex in uno? totus horrescit comis,
Animamque pectus vix anhelantem capit.
Haud dubia vatis signa iam pleni Deo.
Ier. Quid me furore concitas iterum sacro,
Aeterne genitor, mentis alienum meae,
Tuae capacem? Quae, quibus vates canam?
Quae fata restant? aliquid extremas potest
Ultra esse flammas, nec satis Solymae iacent?
Utinam occidissent totae, et hoc saltem darent
Fata in supremis unicum aerumnis bonum,
Nihil timere. Sola metuendum mihi
Facitis tyrannum parva natorum cohors
Capti parentis. Pro ferax scelerum dies!
O magne Rector quid novi monstri obiicis!
Chor. Averte in hostes omen infaustum, o Deus.
Ier. Nihil ominamur, providi ut vates solent,
Olim futurum: video et intersum malis.
Geruntur intus; tota res luce et palam est.
En ille Superum temtor et bello insolens
Nabuchodonosor, Regis exuvias mei
Davidque ab alto purpuram ostentat toro.
Frontem tiaras noster, et sacrae comam
Cinxere vittae: geminus hinc illinc ducum
Discubuit ordo: spolia Solymorum micant
Et hic et illic; ipsa quae pictis premunt
Aulaea lectis, nostra distinxit manus;
Et quae superbis fixa regalis domus
Parietibus haerent, monstra calcati maris,
Mersosque currus, bella, mystarum tubas

Muris timendas, mille prostratos duces,
Et facinus omne gentis Hebraeae canunt.
Merum sacrato, pro nefas! auro rubet;
Vile in profano est: miles hoc quivis bibit.
En ecce Ductor memorat armorum vices,
Et castra parvo tota metatur mero
Victasque Solymas: hic Sion nuper stetit,
Tulitque caelo proximum e terris caput.
Relligio gentis unica hic templum fuit.
Saepe hac rebelles, prima dum valli darem
Praesidia circum, cominus pugnam parant,
Audentque signis serere collatis manum.
Illic sepultae rex per ambages viae
Iam luce dubia profugus e terra exstitit.
Sic bella pingit; calice mox toto impiger
Falsisque Solymis proluit madidum caput.
Io, triumphos, ceteri assensu fremunt,
Geminantque plausus. *Chor.* Lacrymas socii date
Gemitusque contra, plangite infaustum diem,
Et tota nostris Reblatha lamentis sonent.
Ier. At at nefandae ferculum coenae dabit
Dignum satelles. Agite, sic mensis quadrent
Primis secundae; sanguinem hae sitiunt dapes.
Vinctus Sedecias trahitur; et totus quidem,
Miseri parentis liberi stipant latus
Densantque pavidi. *Chor.* Magne regnator poli,
Miserere tandem, vultu et afflictum aspice
Iudam sereno; parce, per si quid tibi
Umquam parentum dulce nostrorum fuit.
Ier. Vix misera gressum cominus pompa intulit

Verusque Hebraeus ante simulatum stetit,
Assiluit iste, qualis e Gangetico
Ieiuna lustro tigris ad praedam volat.
Ardent minaces ore truculento genae,
Exundat ira pectus, et largo insuper
Baccho tumescens igne non uno furit.
Nec multa fatus, voce violenta intonat
Ferrum satelles: moxque devotos neci
Lumine pererrans, caede quem prima immolet
Patris dolori dubitat, et peragi nefas
Iuvat ordinate. Macte, consilium capis
Dignum tyranno; subiit extremos patri
Servare luctus, ipsa quos aetas minor
Et blanda pietas altius cordi imprimant.
Sedet ille trunco fixus, hoc ritu suas
Spectare mortes placuit, et toto frui
Luctu quietum; dirimit hinc illinc breve
Spatium misellos, impares numerus facit;
At pro duobus dexter assistit patri
Aetate fratres Iosias vincens duos.
Lictor puellum quisque correptum tenens,
Ferro et parata pendet in vulnus manu,
Spectatque nutum. Lancinant totidem neces
Iam cor paternum, totque vix unus capit
Animus timores; Iosias totum hinc rapit,
Rursum minores inde sollicitant duo:
Dividere patrem vellet affusum tribus.
Violenta ceu cum maria discordes agunt
Feruntque Zephyri, cedit atque instat sibi
Instabilis unda; nauta cui faciat pedem

Incertus aurae, vela in ancipiti tenet.
Iterum efferati regis indomitum prece
Lenire pectus genitor infelix parat,
Positoque natos poplite advolvi iubet.
At ecce Iosiam supplicem frustra semel
Pudet fuisse; decora maiorum puer
Pictosque vultus cernit, et faciunt suo
Animos nepoti. Liber ad manes tibi
Genitor praeibo; sed decus spreti feram
Mecum tyranni. Dixit, et iugulo necem
Hausit sui securus, eductum cruor
Ferrum secutus vulnere ingenti fluit,
Donec recepta morte procubuit solo,
Humique fesso lumine requirens patrem
Vidit tyrannum: vidit, et moriens quoque
Vultus retorsit. Tristius letum haec facit
Pietas parenti: nititur frustra suis
Pugnax catenis, pectus insano gemit
Ferri sub ictu, vincula quod unum sinunt.
Hinc trepidus infans, territus fratris nece,
Lictoris ipsa veste contexit caput:
Marmaricus ut cum perculit totas leo
Cum nemore caulas, audiit fremitum pecus,
Minorque tauro turba congeminat latus:
Carnificis illinc alter observat manum
Strictumque ferrum, conscius fratrem sibi
Unum anteire. Spectat et longo impius
Rex scelere gaudet; neve disiunctus parum
Primi secundus obruat sensum dolor,
Dispensat iras lentus, et spatio necem

Doctus tyrannus quamque distinguit suo.
Ergo ut paternos tantulum primus furor
Remisit artus, fecit et luctus novi
Animum capacem; proximum caedi imperat
Adicique fratri. Barbarum quamvis sonum
Sensit puellus, seque ab incauti manu
Rapuit ministri, turba currenti favet:
At ille parvo facile trepidantem gradu
Secutus, ensem penitus in tergo abdidit.
Gemino puellus flumine aspergit solum,
Et utrimque moriens pronus in patrem cadit.
Chor. Pro facinus atrox, dirum et aspectu horridum?
Ier. Tepido paternos sanguine implentem sinus
Exanimis ipse genitor amplexu ultimo,
Vinclisque circum corpori affusis premit.
Chor. Miserande genitor! *Ier.* Stricta quod nequiit manus,
Frigentis oculos osculis claudit suis,
Et ore presso spiritum abeuntem legit.
Odere tandem triste convivae nefas,
Quin ipse Solymae clarius victor gemit,
Palamque diro parvulos praedam dolet
Monstro stitisse: vellet incolumes fugam
Tenuisse, vellet morte defunctum levi
Toto parentem conditum regno tegi.
Solus furori barbarus constans suo
Terret gementes; hostis est, cui hostium
Aegre est recidi penitus invisam indolem.
Ignave lictor tertium hoc monstrum neca.
Ictum parabat ille, cum parvas manus
Oculosque contra trepidus obtendit puer:

Vicitque pietas, et novo monstro stupet
Mucrone stricto lictor ad caedem piger:
Nec blandus infans, nec ferum pectus movet
Lictor patronus: precibus accrescit furor.
Ut cum medullas hausit et corpus sacer
Depastus ardor ossibus vacuis furit,
Iam medici et omnis asperat tactus malum;
Intus revulsis torridum fibris iecur
Quas biberit undas, urit et gelido amplius
A latice vires Stygius accendit vapor.
Sic dira rabies, impia, intractabilis
Regis cruenti saevit, et pectus ferum
Ardet magis magisque furiarum impotens.
At tibi necandos lictor imbellis tuos,
Si renuis istum, liberos, inquit, dabo.
Vix dum coacta carnifex totam manu
Mortem tenello pectori infigit satis,
Facinusque et ipsum cum facit, damnat nefas.
Ast ubi cruento tres videt sparsos solo
Cruentus ipse, nec novas mortes timet
Iam genitor orbus; pectus oppressum diu
Furiasque et omnes laxat irarum impetus
Dudum paratos: vincla nequidquam excutit
Arctatque motu; ringitur, frendet, fremit,
Opprobria diris miscet, et quidquid ferum
Insanus animo suggerit promptum dolor.
Hostes lacessit, fata, nec caelo impius
Superisve parcit: mille nunc ignes vocat
In se aut tyrannum; nunc remolito chaos
Hiare mundo, seque et infandum caput

Ulterius Erebo, Tartari ad finem ultimum
Vivos videntes ruere, nec dubitet prior
Trahere sequentem. Risit indignans minas
Amarus hostis, luminum et geminas faces
Capite revelli voce violenta imperat.
Ultro ministros noster irritat probris:
Adeste barbari; adeste (si convicio
Emenda mors est) belluae, atque his addite
Funeribus unum; facitis? et puerum neces
Audetis ultra? adeste, et invisum diem
Eruite; parte moriar hac saltem mei,
Quae tot suorum funere implevit patrem.
Unum oculi, et illud esse postremum volo,
Torvi tyrannum aspicite, et obliquos mali
Hirquos rotate; barbari vultus notas
Odiumque menti figite aeternum meae.
Nec plura fatus, praebuit firmum caput
Ad utrumque vulnus; lictor hinc illinc premens
Unguem sub ipsos orbium infodit specus,
Oculosque ab ima funditus sede extudit
Tum quoque feroces. Perstat indomitus furor:
Vacuique vultus igne truculento micant.
Vinclis solutus vellit haerentes genis
Fibras, et alta luce vestigans diem
Gaudet tenebris: sanguine implevit manum
Taboque late regias spargens dapes
Ipsum et tyrannum. Quod tibi, si qua id tamen
Iustitia caelo curat, his dignum Deus
Factis reponat; caecus hanc unam velim
Aspicere lucem. *Chor.* Siluit et sensim sibi

Vates relictus excutit membris Deum.
O dura nimium fata! cui monstro, o Pater,
Exterminandos placuit Isacidas dari!
Ier. Misella turba, quid tuas clades gravas?
Anteire lacrymis funera atque uno malo
Bis esse miserum, me iubet solum Deus.
Quid ante tempus fata luctumque occupas?
Non sunt tamen futura, quae coram geri
Loquebar absens; facta nunc, facta ultio est:
Ite, ite celeres, quotquot infaustae Sion
Natae supersunt, facite mox tota excitae
Ab urbe coeant, regii ut stirpem tori
Donent sepulchro: qua iacent, sparsos legant
Parentis oculos, marmore ut clausum pari,
Quod licuit unum, filii hoc habeant patris.
  Abiere: quae nunc prima, quae demum miser
Postrema plangam? fumat, et lapsae vetus
Querela Solymae est! polluit templi intimos
Hostis recessus; ordo Pontificum sacer,
Rex ipse, regum prole cum tota perit;
Captiva turba est. Regis elati minis
Par sit potestas, cardines mundi ultimos
Bello fatiget, nec suo perstet loco
Immune caelum. Magne regnator Deum,
Tam lentus audis scelera! tam lentus vides
Reges superbos! ceteri an quidvis patrant
Impune nullo numinis laesi metu,
Solique Iudae dextera trisulcum gerit
Vibratque telum? Comprime, ah! vocem dolor,
Et ore dignos impio questus doma.

Ante, ante placidi mille violatum est probris
Nomen parentis, foederi illusum sacro,
Truncis litatum, iuris infractus vigor,
Fas omne pulsum. Iustus Israel Deus;
Cum plectit et cum parcit, ex aequo bonus.
Maiore scelera nostra taxavit modo;
At scelera nullum nostra servarant modum,
Nec te, superbo capite quae terres deos,
Insana Babylon, mitius fatum manet.
Divina si quid caelitus veri canunt
Responsa vatum, si quid ad modulos lyrae
Auctor futuri certus atque idem inclytus
Iessaeus armis, muta pendebunt tuis
Nablia salictis, quando victoris soli
Fluenta propter pascet Assyríum gregem
Captivus hospes; forsan et nuper suum
Pecus ipse ducet. Patríum frustra melos
Cantare iussus, quale, dum Sion stetit,
Solymis sonabat, occinet festa tibi
Pro voce gemitum: Siccine, heu! sacra extero
Prodamus hosti? deerat hoc unum malis
Cantare miseros: ante dediscat suas
Mea dextra chordas, ante lingua torrido
Haerens palato vocis officium neget,
Obliviosa quam mihi mente excidant
Solymae penates inclytum et templi decus,
Quam mihi madentes ulla lux tergat genas,
Nisi quae Sionis moenia et templi obrutas
Restituet aras. Tu tamen caelo arbiter
Qui cuncta cernis, reddere protervae vicem

Memento Idumae, voce quae nuper meos
Stimulabat hostes, Vertite ex imo omnia;
Eruite vel quod terra defossum tegit.
Nec tibi, meretrix magna, quae fastus meos
Fastu premis maiore, vindex desuper
Dormit severus. Aderit, o! adsit dies,
Victorque felix, paria qui nostris tibi
Remetiatur praemia, et pueros sinu
Raptos parentum frangat ad saxum impius,
Matremque nato spargat exanimem suo.

Chorus IV.

Filiae Sion.

Si pectus gemitu, brachia planctibus,
Si rivis oculi sufficient novis,
Extremam sociae dicite naeniam,
Dum funus patriae condimus ultimum.
Huc moestae facies squalor et orbitas,
Funesti huc gemitus, huc iterum dolor
Postremumque veni. Non solitis placet
Cor figi stimulis; subde animo faces,
Quas nec continuis pupula fletibus,
Nec lapsu minuat temporis orbita.
En nudat tibi pectora solvimus,
Et crinem patriae pulvere sordidum.
En quae multiplici funere lividas
Sulcavere manus vulnera per genas,

Chorus IV. Metrum Asclepiadeum primum.

Irritata novo sanguine perpluunt.
Ploratus oculi quod datis, est leve.
Nil flendum solitis perpetimur modis:
Salsas vulneribus vergite lacrymas,
Et mixtim geminum per laceros mihi
Vultus flumen eat. Sistite lugubrem
Hic pompam, comites, caraque pignora.
Molliri tepidis vulnera fletibus,
Componique decet parvula, dum calent,
Docta membra manu: sindone cum deest
Qua regum tumulo corpora contegas,
Infelix pietas, pondus inutile
Peplum barbarico stamine diditum
Et fluxam cidari detrahe carbasum:
Cui tanto miserae comimur ambitu?
Nimis heu clari generis soboles,
Heu certa nimis! accipe Princeps
Quae prima tibi lamenta damus,
Quae prima ferunt verbera planctus.
Accipe Iosia, qui aetate duos
Anteis fratres, qui morte duos:
Te suprema voce ciemus
Solymis sero nate tuendis,
Cito formosae nate parenti.
Misera heu mater! nimis in luctus
Fecunda tuos, quae te regio,
Quis victor habet? Misera heu mater!
Seu tua nondum funera sentis,
Seu nota gemis: quis sollicitae
Animum possit fallere matris?

Captiva parens, orba, infelix,
Vidua vivi coniugis uxor,
Quos hic gemitus, quae verba dares,
Si tantus habet sua verba dolor?
Vos, o comitum turba dolentum,
Ite ad planctus, explete vices
Dum mater abest; ite, sed illis
Quibus ipsa parens viribus ite.
Innuba quantum potis es virgo,
Animo totam concipe matrem.
Innuba quantum satis es virgo,
Paribus matrem redde querelis.
Occidis eheu! occidis eheu!
Tantum ad luctus ostense tuis
Puer infelix: quem spectabant
Sceptra secundum, mors spectabat
Impia primum. Tibi Davidis
Fortia populi gesta vovebant,
Salomonis opes, Iosiae castos
Superum cultus, dignos solio,
Dignos proavi nomine mores.
Superi vanas risere preces,
Zephyrique leves vota tulerunt.
Occidis eheu! occidis eheu
Puer infelix! tecum omnes
Spes sub gelido marmore claudis.
Ades o nostri gaudia nuper
Splendorque chori, virgo puelle:
Huc castus ades, nec turpe sinus
Tibi virgineos tetigisse puta.

Ades, et lacrymis implere meis,
Dum vulnus hians saniemque premo.
Heu vulnus atrox! quo vita tibi,
Quo nostra omnis gloria fluxit.
Altum heu vulnus nimiumque patèns!
Oblitus eras in quem fureres
Dire satelles, pueri quando
Impete tanto ruis in iugulum.
Formose puer, patere intonsus
Per colla fluens lactea crinis,
Non doctus acu, sed lege sua
Notos sese crispet in orbes.
Ora parentum confusa notis,
Lumina blandae matris amores,
Lumina celsae frontis honorem,
Claude aeternis claude tenebris.
Niveum roseis iunge labellis
Propius dentem, strictius aequo
Ora tetendit ultimus ardor.
Tende sub imum brachia pectus,
Sceptroque habiles belloque manus
Ad funebrem flecte decussim.
Sic compositum quodcumque tui est,
Iosia, ignoto redde sepulchro;
Patrium Assyrius diripit hostis.
Sed sic compositum condite Iosiae
Quod mortale fuit: non violabilis
Pars nostri melior, vulneraque et necem
Tristesque inferias spiritus effugit.
Nequidquam solito carmine praeficae

Affantur positum corpus, et impio
Decertant animum iungere funeri:
Manes innocuos inter et Abráhae
Exceptus patrio est parvulus in sinu,
Securusque feri Nabuchodonosor
Aevum laetus agit.
Nec turpi Iosias occubuit nece;
Quem non rex animi terruit impotens,
Elati tumidus nube supercili,
Non pendente minax vulnere carnifex.
Alio luctus vertite vestros,
Alio planctus; sua iusta tulit
Lacrymasque puer de tribus unus.
Qualis cupido sectus ab ungui
Flos veris honor (quem virgineae
Carpsere manus, dum quaeque sibi
Sertum arguto pollice nectunt)
Cui sua nondum forma recessit,
Cui sua sensim forma recedit,
Nec enim tellus iam mater alit:
Talis vestros pueri vultus
Nunc candor habet, cedensque genis
Decor extremus quiddam solito
Plus more micat; ceu supremo
Natura parens munere funus
Dignata novos afflet honores.
Scilicet istae timor armato
Meruere manus esse tyranno,
Vix bene balba voce parentum
Pappare infans nomina doctus

Scilicet olim bella moveret,
Patriae quaerens ubi forte locus,
Sortisque memor quam nosse nequit.
Si tamen aequum tollere censes
Quidquid possit metui quondam,
Et idem iustum tutumque putas;
Evilmerodach reliquamque tuae
Spem tolle domus: hac lege licet,
Metui possunt; nempe Assyrius
Rex Sennacherib (dignus ab illo es
Tertius heres) iugulum natis
Dedit incautus; quasque colebat
Cernuus aras, victima maior
Sanguine sparsit.
  Parcite longis turba querelis:
Fugit ardenti levis hora rota,
Nec nisi furtim licet esse piis.
Conferte suos Iosiae fratres,
Donaque tumulo mittite raptim,
Qualia deceat mittere captas;
Non quae Solymis stantibus olim
Traheret pompae regius ordo.
  Parvi o manes, puri o manes,
Umbraeque nihil lucis egentes,
Laeti ad plures ite Isacidas;
Ite, et proavos visite reges.
  Nihil ad funus conferre pius
Genitor potuit carius istis:
Oculi nostrae sidera gentis,
Geminis pulsi sedibus orbes,

Quorum ad nutus proceres nuper
Populique omnis turba tremebat,
Ultima nostri fercula adeste,
Non parva tamen fercula luctus.
  Cardine verso crepuere fores:
Adest tyrannus, et quidem irato gradu;
Adhuc tumescit: ite diversae, aviae,
Et cara celeres pignora in tuto abdite.
En barbarorum tota carnificum manus,
Comitatus illo dignus, e foribus ruit.

Actus quintus.

Nabuchodonosor. Sedecias.

Nab. Bene est: abunde est. Solyma nunc tandem iacent.
Sic perfidorum decuit Isacidum ultimas
Spes quoque recidi, regiam ex imo domum
Subruere: flecti quod nequit, frangi potest.
Nunc anime regnas; nunc tibi nemo hostium
Abiit inultus. Pudeat irarum deos.
Nostris deinceps Graecia excluso Iove
Adolebit aris; dicet Alciden suum;
Cana nitentes populo impediet comas,
Regumque dextra stipitem ultorem geram.

Act. V. Sedecias oculis effossis foras producitur, et Babylonem amandatur.

Unam tamen deesse vindictae queror
Laudem beatae: fuerat haec populo palam
Manus probanda, non domi occluso male
Perdenda virtus. Lictor huc vivum trahe
Regis cadaver, sanguine natorum et suo
Vulnere cruentum; Reblathis spectaculum,
Rebellibusque nobile exemplum dabit:
Audire miseri cominus questus placet.
Vos facite regem nemo vicinum indicet,
Caecisque totae gressibus pateant viae.
Sed. Quis cespitanti cogit incertum gradu
Properare ductor? trahito quo lubitum est, sequor,
Vel ad tyrannum. Quisquis es tamen, precor,
Ne filiorum membra proculcem parens,
Carusve sanguis lubricum fallat pedem.
Violare furor est, ipsa quod tuto in loco
Natura posuit; fallor? an tetri specus
Iter est ad umbras carcerisque antrum mei?
Illuc eamus: caecitas capiti impio
Parum alta nox est. Quid male hic superas domos
Funus luesque oberro? quid manes meos
Et insepultas vivus exequias traho
Mihimet parentans? reddite sepulchro suum,
Aut rupis altae condite abstrusum specu.
Non ille primis solibus pateat locus,
Non ille seris; quid mihi impendat diem
Perdatque Phoebus? Nocte non una obrutus
Liberior illic questubus vitam exigam,
Et iusta genitor liberis solvam tribus
Forsan inhumatis; lacrymas oculi negent;

Melius inanes sanguinem volvent genae.
Nunquam coire patiar hac venas manu.
Scrutabor ungui vulnera, et saniem extraham;
Non alius imber hos magis luctus decet.
Heu me! per ipsas urbis ingredimur vias.
Sentio, videmur: verba, quod possum, audio;
Tandemque nostris aliquis ingemuit malis.
Seu Medus ille est victor, et duro quoque
Vel ab hoste pietas exprimit luctus suos;
Sive est Hebraeus, voce qui timida ingemit,
Spectatque trunci triste simulacrum ducis;
Sive hunc et illum miseret, utrumque alloquor.
Mihi dare gemitus parcite, haud pro me queror.
Dies ademptus, et patri ingesta orbitas,
Sed tum videnti: vincla, carcer, servitus,
Vindicta levis est; ferre quod merui, fero.
Nil ille lacero moveat e vultu cruor:
Meus est: nocens est: alius hanc vestem imbuit
Patriumque nati sanguis infecit sinum:
Innocuus aliquid iste virgineum rubet
Lacrymisque dignum: caecus hoc etiam scio.
Captiva turba, filiae heu! quondam Sion,
Lamenta, lacerum crinibus vulsis caput
Vestrosque planctus filii insontes petunt,
Non pater iniquus. Perferam hanc molem mali,
Clarisque nimium rebus evolvam miser
Perplexa nuper fata: praestabo fidem
Utrique vatum, pone victrices rotas
Cum pars triumphi magna Babylonem invehar.
Sed non videbo; luce ab amissa hoc erit

Solamen unum. *Nab.* Macte divinum caput,
Oracla funde. *Sed.* Ludimur? an aures mihi
Violavit illinc hostis infandi sonus?
Non ludor; hic est bellua: irarum novos
Suffigit animo redditus stimulos dolor.
Fit omne rursus et recrudescit nefas.
Regum tyranne, seculi exitium, lues,
Conviva miles; fortis ad puerum necem,
Sed patre revincto; sceptra quid foedas manu?
Non tibi vetustum nobili a stirpe est genus,
Tellure natus regium incestas decus.
Solymam tui vicere, post pugnas tuum est,
Puerum cruore ludere, et strata super
Bellare mensa. *Nab.* Quis mei indicium facit?
Luminibus orbi forsitan Apellae vident?
Sed. Visu carentem cetera ut lateant satis,
Tu non latebis; coge membratim mori
Reliquos per artus, omne quo voces meant
Iter recide: non tamen sensum tui
Abstuleris umquam. Absiste qui noctem hanc regis,
Solus sagaci nare deprendam feram,
Frangamque morsu. *Nab.* Quin tibi procacem prius
Linguam hanc revelli iussero. *Sed.* At vultu satis
Tuam tacens mutusque barbariem loquar.
Nab. Moriere. *Sed.* Quis me compotem voti facit?
Non est tyrannus; moriar: o laetum diem!
Te, te vel umbra Tartari erumpens specu,
Te pater inultus prole cum tota petam:
Stygiamque vibrans propius ac propius facem
Sequar usque et usque: nulla nox animum tibi

Faciet quietum, nulla securum dies.
Nab. Umbras minare, spectra quae caeci vident,
Dum tibi superbo colla prosubigam pede,
Vivumque vivus ipse post currum traham.
Curate famuli, tota Babylonem ocyus
Pompa ut sequatur; iste praetentans viam
Baculo senili, currui adiunctus meo,
Diadema victi praeferat regis notam.
Sed. Ibo, ibo, magne ductor, et fortem manum,
Clarumque facinus hisce testabor notis.
Adeste populi, quosque sublimis videt
Mundi Bootes cardinem ignavum premens,
Et queis perustum verticem Phoebus rota
Propiore crispat. Nullus haec taceat dies;
Totisque saeclis audiam infelix pater,
Dum tu tyrannus. Adsit, et vindex notet,
Quo te minorem gerere detrectas, Deus,
Suumque servet liberis epulum tuis.

HUGONIS GROTII

CHRISTUS PATIENS,

TRAGOEDIA.



Interlocutores.

Iesus.
Chorus Iudaearum mulierum.
Petrus.
Pontius Pilatus.
Caiphas.
Iudas.
Turba Iudaeorum.
Nuntius prior.
Nuntius alter.
Chorus Romanorum militum.
Iosephus Arimathensis.
Nicodemus.
Iohannes.
Maria Mater Iesu.



Actus primus.

Iesus.

O qui futurae sortis immense arbiter
Rerum potente fata moliris manu,
Supreme mundi genitor, et genitor meus,
Mundo prioris, omnia aequavi hactenus
Imperia factis: si quid ulterius iubes,
Paratus asto: cuncta quae timeo feram:
Hac lege veni. Quem tamen finem gravi
Statuis labori? Nulla me vidit dies
Secura: crevit ipse dum fertur labos,
Maloque patuit semper in peius via.
Paterna summi templa deserui aetheris,
Nec natus exul, pauperem pressi casam
Stabulique prima turpis incunabula
Male notus infans: parvus, infelix, miser
Iam dignus hostis rege Iudaeo fui.
Nondum annus alter ierat, aetati parum,
Nimium tyranno; dirus Ephratias nurus
Orbavit ensis: turba puerorum cadit,
Dum quaeror unus, meque dilapso fuga

Cruentus error perdidit tantum nefas.
Centum per orbem cognitus miraculis
Patrem probavi. Livor adversum furit,
Et ipsa virtus peius Herode nocet.
Pater, quid istud? semper agnoscor tuus,
Semper recusor. Persa me coluit magus,
Et ante parvos iacuit infantis pedes,
Suoque Mithrae praetulit sidus meum.
At Abrahami gens ab aeternis tibi
Seposita saeclis, priscaque Isacidum domus
Excussit omnem mente degeneri Deum.
Hinc contumaces bella Pharisaei movent
Pietate fallax turba: at hinc in me trahit
Legum magistros dira pontificum cohors:
Illinc profani secta Sadoci minax
Regalis aulae purpura invisum premit.
Fidei quid ultra restat? ad nutus meos
Natura rerum cessit et fassa est Deum.
Undae liquentis ebrios potus bibit
Galilaea pubes, depuli alienam famem;
Meam subegi: bisque vicenos dies
Ieiuna nullis ora violavi cibis.
Inter secantes dextera crevit Ceres:
Satiatus ingens populus, et toto tamen
Plus et relictum; flabra compressit notus,
Et aestuantis ira detumuit freti.

V. 27. Mithras summum Persarum numen, Sol.

V. 34. Sadoci secta i. q. Saducaeorum (h. e. Iustorum.)

Durata siccos unda transmisit pedes.
Ferale morbi virtus et membris grave
Arti negatum cedere humanae malum
Vox medica vicit, longa caligo fugit,
Meaeque coecus dexterae debet diem.
Auditur ille qui nec audivit prius,
Silentiumque rumpit in laudes meas.
Quid illa sanctis semper adversa et Deo
Hostilis Erebi dira pallentis lues
Non pulsa nostris legibus mortalium
Habitata linquit pectora et vocem tremit?
Post opera tanta non satis Christo fuit
Prodesse vivis, victor ingenti manu
Fregi silentum regna et inferum chaos.
Terris et astris et triumphato mari
Restabat orcus: per sepulchrales specus,
Per operta terris iura et umbrarum domos
Imperia misi, funeris laceri calor
Animavit artus: mortis expulsum gelu,
Retroque in auras manibus patuit via.
Renatus ipso vivit ex tumulo cinis,
Meumque munus spirat, at Mors arctius
Regnare iussa, nec solens damnum pati,
Queritur retexi fata, nec census sui
Constare numerum, pro tot umbrarum grege
Egomet reposcor victima horrendae neci.
Ergone tristis hora venisti tamen,
Qua pereat orbis auctor, et letum premat
Vitae datorem? ruit in exitium meum
Ferale tempus, quaeque nunc umbrat polum

Nox, dum citatos agitat astrorum choros,
Breves fugacis invidet vitae moras.
Quaecunque tandem vim parat capiti meo
Sors dura, parcat trahere, ducentem sequor.
Impensa generi post tot humano mala,
Post frigus, aestum, lachrimas, luctus, famem,
Accedat unum, moriar: alienae reus
Culpae peractus spiritum fessum exuam,
Castusque terras tingat ingratas cruor.
Iam vaenit ingens anima, iam mortem meam
Mercatur atrox infulatum factio,
Scelerique pretium dicit. Exacta est mei
Bona pars laboris: omne praesensi malum,
Et quicquid atra nox tegit vidi tamen.
Mens ante corpus pendet, horresco nefas,
Pressumque venis sanguinem exsudat timor.
Quo priscus ille cordis abscessit vigor
Diumque robur? feror in aerumnas, feror.
Heu morte dura durius mortis genus,
Animique tristis languor, an totus perii,
An spes salutis restat? Atque utinam patrem
Liceat precari. Lachrimis certe meis
Nihil negare solitus aliquantam mali
Partem remittat, fas sed aeternum Dei,
Et praestitutus ordo venturi vetat.
Tot ante saeclis fixa totque oraculis
Cantata vatum nescit in finem ruens
Flecti voluntas. Sed quid infernae moror
Calcare echidnae virus, et torti vagum
Draconis agmen terere sublimi pede?

Primi parentis morte sanandum est scelus.
Morbum furentem sanguinis largus mei
Piabit imber. Gaudeat dira nece
Genus superstes: gaudeat mortalium
Quodcunque busto restat, et gentis piae
Cineres sepulti, viximus viventibus.
Moriamur in commune. Non possunt meae
Perire clades, cuncta debemus mala
Promissa terris, vincula et flagra et crucem,
Titulumque sacrae mortis, et fastidium
Gentis superbae. Turbine infesto tonet
In me parentis ira, dum parcat meis.
Ne pereat orbis, pereo: terrarum omnium
Succedo poenis. Quisquis extremum colis
Utriusque Phoebi littus, aut recta face
Aestiva medius regna quae torret dies,
Quique in remota noctis immensae plaga
Glaciale plaustri sidus Arctoi vides,
Favete sacro, poscor aris hostia,
Et maius agno Pascha, nostro sanguini
Donabit iras caede placandus pater.
Iam plena sacrum Luna post vernae citat
Aequata lucis spatia: plus aliquid die
Dies tamen videbit et perdet diem.
Excors Iuda, tu licet valida manu
Venias Quiritum cinctus et noctis metu
Adversus unum, non tuis capior dolis:
Prodis scientem: sponte festino mori.
At vos magistro lecta socialis cohors,
Adhuc fidelis turba, post festas dapes

Lymphasque heriles, mystico carmen sono
Sacrate: dumque ad nota properamus loca,
Ubi multa tacitis leniter suspiriis
Respondet arbor, quas ego ad sedes vocer,
Quae lex amoris, quam favens vobis Deus,
Audite euntes, interim vigiles meam
Durate noctem: cedat ex oculis sopor,
Caelo supremas donec admoveo preces.

Chorus Iudaearum mulierum.

Iam vehit praeceps per aperta noctem
Mundus, et pronae properant tenebrae
Auream coelo redhibere lucem,
Non tamen ductor celeris choreae
Phosphorus clarum revocavit agmen,
Mane nec primi roseum rubentis
Buccina signum crepuere nostrae.
Nos apud magni penetrale templi
Noctis insomnes vigilamus horas,
Discat ut sanctis precibus piatum
Crastinam pectus celebrare Phoeben,
Qua iubet fruges meminisse raptas
Memphidos regi metuendus exul.
Hoc sacrum totas viduabit urbes,
Quaque Iordanes toties novatos
Ambitu certat satiare cursus,
Quaque se ripis negat et solutus

V. 144. sqq. Versus Sapphici.

Stagna piscosae sibi miscet undae.
Ire miratur Solymam colonos
Dactylis foetum nemus et fragrantis
Balsami ferrum fugiente vena,
Unde non longe lituis avorum
Sponte concussi cecidere muri,
Monsque nimbosum caput aequat astris
Conscius fato senis irreperti.
Perdidit cives prius orbe merso
Cepheos regnum, sacra fabulosae
Dercetus mutans meliore ritu.
Huc Palaestinas properare gentes
Vidit Azotus geminaeque Iamnes.
Non Idumaeos Caparorsa clausit,
Non suos Lyddae tenuere muri,
Non decem princeps populis Damascus,
Non brevi nobis sociata regno

V. 167. Mons sc. Nebo.

V. 170. Cepheus rex Aethiopum.

V. 171. Derceto, gr. Δερκετώ (οῦς) i. q. Atergatis vel Astarte. V. Sis. Act. I, 76.

V. 173. Azotus (Asdod) urbs Philistaeae maritima. Ἄζωτος. Iamne (Iabne) Ἰάμνεια, Ἰαμνία, oppidum Philistaeae maritimum.

V. 175. Lydda (Diospolis) oppidum Palaestinae, regni Israel.

V. 176. Damascus urbs Syriae ad Chrysorrhoam fluvium.

Impii nutrix generis Sebaste.
Venit et dictus populis dedisse
Prima scriptorum monumenta Phoenix,
Quem Tyros regum pretiosa luxu
Edit in lucem genitrixque Sidon.
Venit et siquis Syrus inter amnes
Audet intactos violare pisces,
Nec vagae numen metuit columbae:
Belus et quorum vada concolori
Turbidus vitro lavat, et vetustis
Finium bellis dubitatus Arnon:
Et quibus limo vada sulphurato
Pestifer donat lacus; hic inertes
Spiritus nullos patiuntur undae.
Non tulit pinnas pelago natantes,
Non tulit remos mare verberatum.
Odit hoc omnes animas profundum
Et vetat mergi, nec odore quicquam
Saevius vastum minitatur aequor.
Ille depastus segetem veneno

V. 178. Sebaste, ante Samaria, urbs provinciae nominis eiusdem.

V. 183. Mesopotamii. Cf. Sis. Act. I, 76. Vagae numen columbae i. e. Venus Cypria vel Astarte.

V. 186. Belus, fluvius Palaestinae, Ptolemaide in mare influit.

V. 188. Arnon fluvius in finibus Palaestinae in meridiem spectantibus, Moabitas inter et tribum Rubeni fluens et in mare mortuum incidens.

Praeripit messes: abit in favillas
Omnis autumnus: cinis hausit arva,
Nequa non olim meminisset aetas
Vindicem flammam, piceoque coeli
Imbre damnatas periisse gentes,
Cum sale infelix mulier gelato
Sensit in saxum riguisse venas
Impie caros miserata muros.
Misit aeternam sine prole gentem
Littus Essenum, quibus una virtus
Foeta commendat viduum cubile.
Omnis in culpa Venus: omne lucrum
Aequa paupertas; nimis o beatus,
Qui suum nunquam numeravit aurum,
Publico tantum vigil; ille nostris
Maior aerumnis, vitiisque maior,
Lege communi socialis aulae
Postulat partem famis et laborum.
Quot fugis sparsos in utrumque solem
Posteros, sero patris Abrahami
Colliget vesper: tamen heu triumphi
More solennem feriemus agnum.
Ipsa libertas semel ut recessit,
Quam dies primus dedit Azymorum,

V. 207. Littus Essenum, sc. Iudaeorum secta caelibum, Nilum praecipue accolentium. Non procreabant, sed educabant aliorum filios et divitiarum contemtores omnia habebant communia.

V. 220. Libertas sc. mulierum exeundi proficiscendique Hierosolyma.

Non redit, quamquam iugulo petita.
Pars tenet Batti steriles arenas,
Corniger gentes ubi fallit Ammon:
Pars, ubi Nili Macetes ad amnem
Victor aurorae stetit; an tacebo
Carcerem nostri generis vetustum
Coctili cinctam Babylona muro,
Culta vel Tauri, dominumve Tybrim?
Quisquis extorris decora alta gentis
Nescit oblitus, neque saecla confert
Immemor, longa mala mollit usu.
Iustius sortem queritur malignam,
Qui domi servit; miserae tenemus
Semper Aegyptum, patriamque nunquam.

V. 222. Iugulo h. e. victima.

V. 223. Battus, Polymnesti filius, ex oraculo Delphico coloniam in Libyam deduxit.

V. 225. *Macetes* sc. Alexander M. *victor aurorae* i. e. orientis, conditor Alexandriae urbis.

V. 229. Culta Tauri sc. vel Beli Babyloniorum vel Apis Aegyptiorum vel Molochi Ammonitarum.

Actus secundus.

Petrus.

Inimica nostro Romuli pubes Deo,
Profaniorque turba sacrifici gregis,
Quaeque innocentes non refugistis manus,
In me venite vincula; en ultro reum
Vereque sontem; quicquid est actum hactenus,
Merui videndo: si quid est ultra mali,
Merui timendo; me petenti non face
Vincenda nox est, non Latina unum in scelus
Miscenda templi cum satellitio manus,
Non dux emendus, perfidoque amplexui
Ponenda merces: dabitur hoc gratis caput.
Huc huc adeste: stabitis, nec turbine
Collapsa subito terga percutient solum.
Dabo retorta sponte nodis brachia,
Et ipse plagis vultus occurret suis.
Saevire iam vacabit; an solae placent
Cum scelere poenae? segnis est vester furor
Nisi in immerentes? ratio constat criminum
Utrinque: vobis, facta quod fateor mea;
Mihi, quod negavi. Iudices sancti, quibus

V. 3. Construe: Et vincula, quae non refugistis innocentes sc. Christi manus.

V. 7. Me qui quaerat, ei non face opus est, non praestolanda nox est.

Iurata testes venditant mendiaca,
Audite facinus. Gente Galilaea satus
Terras reliqui mariaque, ut Iesum sequar.
Proles Tonantis vera res mortalium
Haeres paterno missus imperio regit,
Adestque caelo liberator patriae
Captivus ille vester, et sceptri potens,
Quem iudicastis; impium agnosco genus,
Ferosque mores stirpis et proavos truces.
Sic providae quietis et fati reus
Benignioris, impias fratrum manus,
Et dira pavidus ora respexit puer,
Qui mox vocanti Nilon impositus solo
Utrisque saevam depulit terris famem.
Sic lapsa ab astris mella et aetherias dapes
Pertaesa fixis rupe Sinaea patrum
Seditio castris praetulit Mosi Pharum
Et servitutem; nemo vates entheo
Impune per vos corde concepit Deum:
Sed nemo inultus. Memphis, et rabies locis
Inclusa vastis, inque se armatae tribus
Adeo exciderunt; mox peregrini iugi
Mutata toties iura, et Assyriae domus,
Aquilaeque Magni, rupta cum templi sacra,
Mediaque victor aede Romanus stetit.
Peiora restant; haec ministerio manus
Utinam placeret; vertere infidas libet

V. 37. Pharum pro Aegyptum. Cf. Sis. Act. I, 8.
V. 40. Memphis urbs regia Aegypti inferioris.

Sedes, et omni sueta sceleri viscera
Eruere ferro. Testor infaustum nemus,
Cui luctuosas Christus affudit preces,
Quaesisse caedem, mixtus ut vestro Cedron
Iret cruore; tela compressit mea,
Cui tela tenui, verbaque exemplo iuvans
Sanavit hostem. Pavidus, ut partem sui
Sine se iacentem sensit, huc vertit faces,
Visaque Malchus aure, vindicta minax,
Et saeva quatiens vincula, incurrit manum
Notam medelis: tactus aufugit cruor,
Rediitque trunco pristinum capiti decus.
Nocuisse Christo profuit tantum. Sed o
Scelerata turba, vulneranti parcitis,
Trahitis medentem. Tu quid omnes per reos
Te, Petre, differs? si magistrum vindicas,
A te inchoandum est. Ille tu semper ferox,
Cunctas lacessens pectore invicto minas,
Primos ad ictus, cumque fortuna, fugis.
Rebellis et desertor et fluxa fide
Quid non patrasti? Robori quisquis suo
Spes credit altas, nec dolos animi timet
Frustra placentis, perfidis sed viribus
Incumbit, huc respiciat, exemplum grave
Sortis caducae, quamque sint fragili loco
Humana: primos usque sed punit suus
Error superbos. Quid meis restat malis;

V. 51. Cedron torrens inter Hierosolyma et montem olivarum fluit inque lacum Asphaltiten incidit.

Abominando scelere foedavi dapes,
Potus et undas; hocne, quod tantum nefas
Iurare potuit, ore gustavi impio
Veneranda mensae sacra? Pro pietas, et hos
Ergo fugaces Christe lavisti pedes?
Quis me nivosis despuens Libani iugis
Gemino citatas capite Iordanes aquas
Satis piarit? Tune Callirhoes liquor?
An vos alumnum poscitis patrii lacus?
Non ipse Nereus, quem super Nilus ruens
Caerulea turbat ore septeno vada;
Non illud olim quod stetit proavis fretum
Rubente crimen abluat fluctu meum.
A me petendus imber. Heu cessant adhuc
Lamenta? lachrimis contumax vultus fluat.
Sic sic eundum est; verbere illiso sonet
Crudele pectus; hi decent ictus manum.
Miserande debes haec tuis Cepha malis:
Quid das magistro? non ferunt luctum parem
Quae facio, quaeque patior; ut totam occupet
Nox ista vitam, seque flendam per meos
Dispenset annos, spiritus medios tamen
Gemitus relinquet, nec satisfaciet malis,
Interque luctus anima deficiet suos.
Iam fletis, oculi? flere vos decuit modo,
Tunc cum precandi tempus: at vos languide

V. 82. Callirrhoe fons aquae calidae prope mare mortuum versus occidentem.

Captos veterno vetitus oppressit sopor:
Certe, priusquam staret hostile ad forum,
Ac ter negantis ora respiceret reus,
Alesque lucis crimina occineret mea.
Quae me recondet regio? qua moestum diem
Fallam latebra? quaero nigrantem specum,
Qua me sepeliam vivus, ubi nullum videns,
Nulli videndus lachrimas foveam meas.

Pontius Pilatus. Caiaphas.

Tarpeie superum rector, et magni pater
Mavors Quirini, quosque nunc melius colit
Urbs domina rerum, gentis eversae Phrygum
Prisci Penates, quando contingit mihi
Vestras ad aras trahere votivos greges;
Ubi tecta coelo paria et auratas trabes
Gemmis rigentes, quaeque plausu personat
Populus subactis iura, qui populis dedit
Theatra, cernam, teque terrarum arbitrum,
Magnanime Caesar; sive praesentem colit
Tua Roma supplex, proque toto quem dedit
Te poscit orbe, seu togatis coetibus
Te molliora regna Teleboum negant;
Ego nunc amicis heu procul, patria procul,
Honestus exul iubeor invisam polo
Frenare gentem, quae superbo nomine

V. 121. Teleboae (Τηλεβόαι) populus Acarnaniae, cuius pars postea Capreas Italiae insulam incolebat, Tiberii Caesaris latibulum.

Abominando [illegible] humani tegit,
Potus et un[illegible] damnat, et falso metu
Iurare po[illegible] pariter abiurat deos.
Venerar[illegible] nolle: non patitur regi
Ergo [illegible] error et discors sibi,
Quis [illegible] turba iactavit iugum
Ge[illegible] vinci quam domari nescia.
S[illegible] sponte nostra, testor et fas et fidem,
Toties per urbes fluxit Hebraeas cruor:
Sed vim proterva gens et insociabilis
Ni patitur audet; regna tractantes manus
Saevire ratio saepe et invitas docet.
Sed ibo visum quid sacerdotum velit
Sibi turba, quorum trepida relligio sacro
Instante nostris pollui tectis timet.
Quis ille, quem tot vincla totque homines premu[illegible]
Ipso verendus ore nec fontem ferens?
Tu fare Solymi Caiapha princeps chori:
Quae nuntiatis scelera, quod fertis nefas?
Cai. Custos Latinae pacis, a summo duce
Nobis secundum nomen, adduxit sacer
Reum senatus; scimus, haud nostrum putas,
Obiicere poenis posse non meritum caput.
Sed hic, magistra quos vetustas edidit
Ritus, retroque longa defendit dies,
Convellere ausus intulit mores novos:
Nec illud almae sedis arcanum timens,
Templo ruinam cantat, et plenis Deo
Minatur adytis. Septimae lucis sacram
Turbat quietem; fasque de coelo datum,

Totumque Mosem legibus calcat suis.
Nec stetit in illis: sidera incessit furor
Summumque numen, plebe cum vili satus
Palam Tonantem vindicat patrem sibi.
Haec sunt, piari morte quae vates iubet,
Qui iura tabulis scripsit in geminis decem.
Pon. Postquam ira belli mater atque auri fames
Artes nocendi reperit, et placidos suo
Praestare poterat nulla securos quies,
Infirma per se vita communi metu
In foedus homines traxit, alternam docens
Opem pacisci: moenia amplecti domos
Coepere: maius inde praesidium bonis
Subiere leges: poena respondet suae
Aequata culpae: redit ad auctorem malum:
Iustitia ab ipso crimine exemplum petit,
Damno rapinas ulta, caedem sanguine,
Ut facere metuat quisque quod metuit pati.
Maiora poenis peccat humanis, Deum
Quisquis lacessit: magnus hunc vindex manet
Quem laedit: ipse fulminanti dextera
Tremendus orbi cur suas mortalibus
Mandaret iras? esse nec datur impio
Impune: vecors mentis attonitae pavor
Exagitat illum: sentit ipsum quod negat,
Et cogitur timere vim non creditam.
Non peragit unus tale supplicium dies.
In hoc iubetur vivere, ut nomen necis,
Necique siquid restat, horrescat diu:
Sin patria quiddam iura diversum sonant,

Commissa vestrae vocis arbitrio luat.
Cai. Quamvis, avorum placita quod nobis manent,
Donum fatemur esse Romanum, tamen
Omnis redacta iuris est nostri necem
Citra potestas; tu, cui magnus suas
Tradit secures gentis Ausoniae pater,
Ius imperi tuere. Quem trahimus reum,
Modo iam relicta sede natalis soli,
Ubi servat unda Caesaris nomen tui,
Haec usque ad urbis tecta populorum agmine
Stipatus ibat, vulgus in bellum ciens,
Nefasque clamans liberam Latio premi
Gentem tributo; carminis magici nefas
Stygiumque foedus astruit fraudi fidem.
Nihil quietum patitur: excantat rogos,
Et ipsa turbat busta ferali sacro:
Queis capta monstris turba novitatum sequax
Dominum salutat, illius laudes canit,
Praefertque eunti nobilem palmae comam.
His ille studiis fretus addicit sibi
Possessa quondam sceptra Davidis domo.
Motu ex rebelli, qui nisi caedes viros,
Flammae penates, vastitas agros manet,
Cum iustus in nos saeviet Romae dolor?
Unum perire satius, an populum, putas?
Quin hic piamen omnium culpae datus
Cruore gentis redimat exitium suo.
Pon. Ambigua prudens causa consilium expetit.
Intro est eundum. Vos foris, quando libet,

Restate; vinctum milites sistent, ubi
Auditus a me iura pro factis ferat.

Chorus Iudaearum mulierum.

Solymae turres regnumque vetus,
Cui victa tulit terra tributum,
Quae Niliaci finibus Isthmi
Procul Assyrium tendit ad amnem,
Cum procubuit tibi fuscus Arabs,
Mirata tuas cum venit opes
Decolor ustae regina plagae:
Tua certarunt foedera magni
Ambire duces, celsa Canopi
Qui sceptra tenent, et Chaldaei
Late domini gentis Eoae,
Virtusque mari Sarrana potens:
Nunc heu quali sub servitio,
Nihil, externis nisi praeda, iaces!
Uni tellus desponsa Deo
Quoties quoties mutavit heros,
Ex quo auspiciis non coepta bonis
Nova creverunt moenia templi,
Populusque inter vincula natus

V. 216. Chorus constat dimetris anapaesticis acatalectis. ⏑⏑ _́ ⏑⏑ _ ⏑⏑ ′ ⏑⏑ _. Cf. Senec. Oed. 980—997. Sed. Act. II, 201 sqq.

V. 224. Canopus urbs Aegypti inferioris ad ostium Nili.

V. 227. Sarra antiquum nomen Tyri.

Secum rediens sua fata tulit!
Scelus Antiochi patrumque nefas
Sedet in nostra cervice, sedet.
Aetas quid enim dira refugit,
Quae caelestis potuit flammae
Prima silentes spectare focos,
Fusoque suum sanguine fecit
Sacra iratum meritura Deum?
Ergo Ionios scelerata hominum
Commenta deos turis acervo
Placans iacuit nostra iuventus?
Fratrum post haec tempora caedes,
Toxica manibus mista maritis,
Matrumque dolos, et quae nemo
Credere posset, Iudaea tulit.
Bis Romanis cessimus armis,
Bis victores nostros victor
Perculit alter: dominis tantum
Fortuna levis, nos iam toties
Transit eosdem.
Deerat nostris hoc nempe malis,
Iuga cognatos diversa pati,
Dum pars Italas metuit virgas,
Partes alias regnat uterque
Fratrum proavis domita nostris

V. 236. Scelus Antiochi (Epiphanis) sc. profanatio templi ac religionis.

V. 258. Herodes tetrarcha Galiläeae, et Philippus tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis regionis. Cf. Luc. 3, 1.

Ortus Idume.
Tu spes lapsis unica rebus,
Columen patriae, genus Abrami,
Quem fatidico pius ore parens
Sperare suum iussit Iudam,
Quem regis avi nablia cantant,
Vindex populi tibi sacrati,
Clausure tuos non frangenda
Pace triumphos, tunc cum leges
Feret unius Iudaea tuas
Inter famulas libera gentes,
Quando nobis, quando toties
Promissus ades?
Si nos vatum, quorum miseris
Constat multa iam clade fides,
Nunquam in laetis carmina fallunt,
Non tu longe. Per te sancti
Limina templi, per iuratum
Patribus nomen, quod lingua loqui
Nostra veretur, consanguineos
Respice luctus; propera, propera,
Sancte precamur, votisque piis
Tandem praesens disce vocari.

Actus tertius.

Iudas. Caiphas.

Quicunque puras scelere servatis manus,
Me fugite longe; fugiat et qui non nisi
Credenda peccat. Iste vultus polluet
Etiam nocentes. Vos quibus fas et nefas
Discreta, quos non tota migravit fides,
Quibus est amicus, filius, frater, piae
Quos mentis ullo nomine affectus tenent,
Occludite aures; nesciat commercia
Tam dira mundus; solus hoc norit nefas
Qui vendidit, quique emit. Ubi nunc pontifex,
Ubi dicta sacris turba, digni qui suis
Mactentur aris? Impium cerno gregem,
Quo peius aether me videt demto nihil.
Audite vocis praesules notae sonos:
Gratis loquemur: sive testem quaeritis,
Habete verum: sive sontem quaeritis,
En confitentem; prodidi vobis ego
Animam immerentem; prodidi sanctum caput,
Plusquam magistri; scelere non possum manus,
Praeda levabo: munus ad dominos redit:
Habete lucro perfidi pretium doli.
Cai. Meritone culpes temet ac peragas reum,
Te stabit intra cura; nec nos crimina
Aliena tangunt: nec tibi partas opes
Recipimus: a se nam cruentos respuit

Quaestus sacrato gaza Corbonae sinu.
Iud. Hoc fas et aequum vestra si pietas docet,
Probare facinus, execrari praemium,
Ibo ibo ad aras, et nefando munere
Templum impiabo; nil ibi frustra. Deum
Pro me precabor: vos sed ut culpa pares
Par poena teneat; debita haud ultra moror
Supplicia: dirae mortis ad nigros specus
Dux ille vester praeeo, vos aequum est sequi.
Coeli imperator, si nec ignavus vides
Humana, nec te fulmine armatum truci
Frustra timemus, terra quid meruit tua,
Quod tale monstrum portat, aut Sol, quod videt?
Si vetera credi genera poenarum iubes,
Accedat unum; littus eripiant mihi
Demissa coelo maria: me fluctus premant,
Et fiat hominis poena quae mundi fuit.
Liquefacta taedas astra sulphureas vomant,
Quantumque coelo est ignis, hoc una caput
Feriat ruina; quinque non tantum nefas
Fecere populi; pandat arcanos sinus,
Et inferorum claustra magnum iustius
Non ulta Mosem terra. Iam quicquid mali est,
Tuus in minora scelera consumsit furor.
In vindicando filio lentus pater,

V. 26. Corbona i. q. oblatum, donum. Cf. Marc. 7, 11. Matth. 27, 6.

V. 45. Quinque populi, cf. Gen. 14, 2.

Exitia machinare terrifica, horrida,
Nondum reperta. Facis? an haec faciet manus
Quod tu recusas? Dira coeligenum exulum
Feralis acies; nata punire impios
Et facere, quid me hostile circumsistitis,
Quid territatis? Iamne apud manes mea
Decreta poena est? venio; quam partem sui
Mihi saevus aperit carcer? hanc, ubi sontium
Pater ille, cuius non litanti dextera
Frater recentis quarta pars mundi iacet?
An illa poscit regio, nostrorum ducum
Ubi turba maior, quos super mole eminet
Socer infidelis, qui suo ferro incubans
Invidit hosti regiae caedis decus?
Placet ante cunctos ille, qui rapto patri
Solio superbus, perdidit moriens humum,
Ultrice rutilas arbore implicitus comas.
En digna sese monstrat ad letum via:
Sequor hunc; Iesum praeeo: supplicio paris
Anima anteverte sceleris eventum tui.

Pontius Pilatus. Turba Iudaeorum.

Horresco totus: nec quid aut sileam aut loquar
Decernit animus: liberant leges reum;

V. 59. Pater sontium h. e. Cainus, cuius dextera caesus Abel, generis humani quarta pars iacet.

V. 63. Socer infidelis sc. Davidi, Saul rex. Cf. 1 Reg. 31.

V. 65. sqq. Absalon rebellis Davidi filius. Cf. 2 Reg. 18, 19.

Invidia damnat. Fateor, offensam timens
Plebis patrumque, crimen optavi datum:
Nullum repertum est; quicquid obiecit sua
Satis ipsa prodens odia coniuratio,
Silentio revicit. En illa inclυta
Pharisaea pietas: quia sub exesi fame
Pallore vultus et supercilio gravi
Vano, calentes ambitu ac cupidos opum
Animos retexit, fit nocens, spretor Dei
Sacrilegus: hinc tot illa scelerum nomina
Regnique crimen. Scilicet maris accolae
Inops inersque vulgus, et Galilaidum
Grex feminarum, spiritus facient duci
Tantos? ad istas Roma trepidabit manus?
At ipse regem se negat terris datum.
Regem fatetur, unde non ullas sibi,
Pugnasse dextras, cum lacertos stringeret
Popularis hostis: sed feris mortalium
Odiis patentes traditas partes sibi
Verum tuendi: studia quos eadem iuvant,
Paucos magistrae vocis imperium sequi.
Seu vera sunt haec, liceat impune eloqui;
Seu temere iactat falsa, quis mendacium
Capite expiavit? seu furit, poena est furor.
Sed et ipse, quem nunc annui cultrix sacri
Structum parenti traxit ad templum dies,
Qui iuncta fini regna Agenoreo tenet,
Famae stupenda facta narrantis fidem

V. 100. Significatur Herodes. Agenor, rex Phoeniciae, Europae et Cadmi pater.

Frustra requirens, imperi civem sui
Habuit satis sprevisse, nec ludibrium
Damnavit ultra; dictus Herodi aemulus,
Fulgente ab ipso cultus ornatu redit.
Sed innocentem bis repertum saevior
Premit ira, metuens, credo, nequicquam scelus
Quaerens in illo, ne suum amittat scelus.
Animo semel praecepta proh quantam movet
Vindicta rabiem! talis ereptam furit
Recipere praedam natus in silvis leo.
Pudet, at metus subegit, aequum ut fraudibus
Vellem tueri, iusque furarer dolis:
Ceu contumacis impetum pelagi timens
Obliqua fluctus navis oppositos secat.
Mos est vetusto, si qua Iudaeis fides,
Veniens ab aevo, liberum quo turgidas
Aestate ripas fugit Iacobi genus,
Quoties renato vere Titanis soror
Pleno refulsit orbe, populi gratiae
Unum e nocenti plebe donari caput.
Ego iam soluta non merenti vincula
Spe destinabam: sed meae clementiae
Elusit artes vis sacerdotum effera,
Quorum incitatu turba latronis petit
Vitam Barabbae; prima miscendo manus
Semper tumultu, sanguine humano calens,
Insontis odio factus insons, publicum
Meruit favorem! Nunc et ancipitem metu
Non vana carae visa turbant coniugis,
Quam nocte tota tenuit irrequies sopor:

Meque illa iam per sacra, per superos rogat,
Ne iura violem, nilque peccantem hostium
Gratificer odiis. Ergone Hebraeos patres,
Et studia temnam traditae gentis mihi,
Et una vilis anima tot subito mea
Benefacta perdet? Clausa nunc his moenibus
Iudaea tota est: advenas quos ultimo
Ab axe misit orbis, haud capiunt domus.
Quid si arma vulgus sumit, et coeptas semel
Non ponit iras? scilicet iudex pius
Magnum merebor pace turbata decus!
Meliusne morti dabitur? at culpa vacat.
Quin ista magna est culpa, quod fieri potest
Materia belli; ne periclo succubent
Imperia, saepe valuit in crimen timor.
Spes una restat: terga iussis milites
Secuere flagris; si truci spectaculo
Se forte plebis satiet iratae furor.
En qualis adstat! sanguine et vibicibus
Rubent lacerti: vulnere exhaustum latus:
Humeros cruentos concolor vestis tegit
Mendacis ostri: proque serto regio
Utrumque tempus asperae sentes premunt.
Spectate miserum! *Turb.* Tolle, et hoc purga solum
Visu nefando: fige devotum cruci.
Pont. Vestrumne regem? *Turb.* Nulla consortem sui
Patitur potestas; iuris humani arbitrum,
Quem Roma monstrat, colimus: unum Caesarem
Dominum fatemur: Caesari regnum eripit,
Regnare quisquis sperat. Atque adeo tuas

Res intuere; quam fidem praestas hero,
Si te timendum praeside exemplum incipit?
Impune magni laesa maiestas ducis?
Pont. Crescit tumultus: saeviunt procerum simul
Plebisque voces: murmur incertum fremit,
Littorea qualis saxa ventorum fragor
Primus pererrat, cum procellas parturit
Coeli latentis ira: diffidit polo,
Totoque trepidus nauta decedit mari.
Notus mihi iste strepitus, haec subitam mala
Poscunt medelam. Vos piatrices aquas
Huc ferte, famuli. Testor hos duros ego
Undae liquores, et meas testor manus,
Quas sordis expers imbre perfundit latex,
Nil sponte facimus: quod carens culpa perit,
Mea culpa non est. Iste vos teneat cruor.
Turb. Securus esto; quicquid huius pendere
Caedes meretur, sentiat nostrum caput,
Nostrique generis sera posteritas luat.
Pont. Ergo hic, ubi inter nobilis crustas soli
Surgit tribunal, iuris augusti locus,
Sedens profabor. Trahite damnatum cruci:
Servile rex Iudaeus exitium ferat.

Chorus Iudaearum mulierum. Iesus.

Te te miserum plangimus omnes,
Tibi cum fletu lamenta damus:
Seu tu nigrae cura volucris

V. 185. Chorus habet versus anapaesticos.

V. 186. sqq. Seu tu Elias, seu redivivus Ioannes, seu prophetarum unus.

Raptus in altum flammante rota
Sentis dominos rursus iniquos;
Seu captivae quondam patriae
Sero nimium credite vates
Lachrimas fatis reddis iisdem;
Seu qui nuper, post Iordanis
Puro lotas flumine gentes,
Nihil incestos veritus regum
Culpare toros, morte luisti
Saltatricis vota puellae;
Seu priscorum quicunque virum
Idem atque alius redditus orbi
Merso vitiis consulis aevo,
Sanctus certe; tua quod virtus
Et facta probant: non tu posthac
Denso comitum stipante choro
Niveos mores et clara poli
Regna loqueris: non te aspiciet
Coecus sibi vix credulus ipsi,
Vultu ignotum cernente diem:
Non clementes fugiet tactus
Omnibus herbis invicta lues:
Non te vires praebente tuas
Auctu tacito totidem panes
Hominum totidem millia pascent.
Vera exacti regula moris,
Prope plus vita quam voce docens:
Modo sectatrix quem turba premens
Angusta nimis littora questa est,

Montesque sua plebe minores:
Modo cui vestes, cui vincentes
Pondera ramos substravit ovans
Festo cantu nostra iuventus,
(Quid non possunt fortuna levis
Rerumque vices?) deserte tuis,
Prodite saevo duceris hosti,
Vindice nullo.
Non ita dudum spes afflictis,
Unaque cunctis medicina malis
Vinctae loro cessere manus.
Per quem muti potuere loqui,
Nunc ecce taces. Repetit plagas
Aperitque novo verbere sulcos,
Nobisque suas venditat iras
Romana cohors; en membra fluunt:
Nulli proprius dolor est parti,
Sed confusos abit in rivos
Unum toto corpore vulnus.
Fatine etiam tute minister,
Poenaeque tuae portitor ibis?
Quis migrantes habitare domos
Consuetus Arabs, regnansve cava
Rupe tyrannus tam dira iubet?
Necet o utinam pressum ligni
Feralis onus, membra fatiscant,
Rumpatque labor tenui haerentem
Limite vitam; votum fuerat
Sic posse mori; quantis eheu
Servare malis! Fers ipse crucem,

Quae te quae miserande feret!
Ies. Ne, Iudaeae, ne me nimium
Plangite, matres; vestro generi,
Vobisque istas Solymae lachrymas
Servate, nurus, quibus exitium
Triste minatur funesta dies.
Venient annis tempora paucis,
Cum foecundos uteri mulier
Questa tumores, dicet solas
Esse beatas, quas maternos
Nulla liquores pignora poscunt:
Cupiet tota cum rupe tegi
Misera, et magnos sidere montes.
Chor. Eheu dirae victima morti,
Non nos iterum visurus abis.
Non te leti porta remittet,
Qualis nuper tibi clamatus
Sensit sensus esse reversos,
Venasque tua voce solutas
Iterum ferme riguisse metu,
Simul oblitum venit in orbem
Nigro surgens Lazarus antro:
Cum Sadoci domus errores
Malesana suos certo vidit
Teste refelli.
Pauci raro munere coeli
Potuere aliis reddere vitam,
Se nemo sibi.

V. 268. Saducaeorum secta, qui resurrectionem negabant.

Actus quartus.

Nuntius prior. Chorus Iudaearum mulierum. Nuntius alter.

Tandem execranda, barbara, infanda, impia
Facinora fugi, nec satis fugi tamen:
Quodcunque vidi, sequitur, et totum scelus
Oculis oberrat. *Chor.* Testis an certus venis,
Supplicia vatis dira Galilaei ferens?
Nunt. pr. Si qua est sub oras gens relegata ultimas,
Quae coelum et astra mariaque et terras Dei
Ignara cernit, pellit ubi caedes famem,
Et mensa similes ponit epulanti dapes;
Non ista faceret. *Chor.* Neminem insontis viri
Igitur misertum est? nemo ad haec gemuit mala?
Nunt. pr. Sane misertum est: sed magis fera non fuit
Saevitia quam dum parcit. Urgebat nimis
Exangue corpus pondere attritum suo
Infamis arbor, morsque iam steterat prope:
Sed lenis ille militum populus vetat
Miserum perire, socius aerumnae datur
Libyes creatus urbe Theraea Simon.
Non illum amata ruris angusti quies
Defendit: urbis vitia fugientem, premunt
Urbis furores: tractus ergo non suo
Succedit oneri, nequis ambigeret trahi
Et immerentes. *Chor.* Pande iam totam simul
Faciem malorum; fare quis poenae modus,

V. 18. Thera, insula prope Cretam, cuius urbs Eleusis.

Quas vis dolorum rupit in voces; cupit
Animus quod horret scire; ne parce auribus,
Timor ipse finxit quicquid audiri potest.
Nunt. pr. Quae pars ab urbe frigidis Boreae patet
Proiecta flabris, cognitum bellis iter
Et certa semper cladibus nostris via,
Haec ipsa dirum Golgothae tollit iugum.
Non flore collem pingit herbescens humus,
Non laeta obumbrat arbor: albens ossibus
Taboque sordens squallet humano solum.
Iacent nocentum non sepultae corporum
Putres reliquiae; quisquis aut ferro impius
Iugulum parentis hausit, aut matri suos
Foetus regessit, quisquis in fratris necem
Legit venena, quisquis ignotum hospitem
In nemore solo pabulum posuit feris,
Hanc morte sedem meruit; agnoscunt suos
Tot scelera manes. Haec ubi infausta in loca
Vir Nazarenus languidum erexit gradum,
Praebetur aegri pectoris solatium
Qui lachrimosis editus myrrhae comis
Latex amarus dulce condivit merum.
At vix Iesus ore dignatus suo
Inane munus, respuit poenae moras,
Luctuque forti totus incumbit malis.
Iamque ecce ruptis pervios venis pedes
Ferrum premebat: brachia in partes duas
Diducta: gemino vulnere adstrictae manus.
Dum tanta patitur monstra, dum tellus abit
Surgente trunco, deque sublimi rubens

Destillat imber, nulla tormentis viri
Donata vox est, donec infixus solum
Stipes momordit. Tum, velut coelo suo
Sic propior, ora pariter atque oculos levat,
Et posita inter tanta (quis credat?) mala
Miseratur alios, et magis flendos putat
Quibus ista licuit facere, proque ipsis timet,
Reusque veros falsus absolvit reos:
Ignosce, clamans: magna delinquunt, pater,
Sed inscientes. Militum interea ferox
Et sueta praedae turba, non visu trucis
Poenae moveri: nescius flecti rigor
Expulerat hominem; spolia nunc etiam petunt:
Nec opperiri fata morituri vacat:
Viventis et cernentis exuvias iuvat
Secare: magna pars voluptati ferae
Spectator ipse est; ludit in parvo furor,
Virique cultus pauperes in quattuor
Ivere dominos; una textu simplici
Quae se tenebat, dividi vestis negans,
Adiudicanda sorte, casus arbitri
Munus pependit. Non minus poena fuit
Et hoc, tueri compares poenae duos,
Quos saepe sera nocte praedonum duces
Timuit viator devio abstrusos specu.
Hos inter ipse positus ambiguum facit,
Illisne maior debeat populus necem,
An sibi salutem; signat illos caedium
Numerosus index; tale de medio nihil
Cum turba legeret, quaerit et scire expetit,

Quod culpa nomen, poena quem titulum ferat.
Stabat super pendentis obliquum caput
Triplices tabella vocis ostentans notas,
Inscripta quales charta, quae Solymos docet
Caeleste sacrum, crescit in dextrum latus,
Quibusque sollers Graecia in famam suas
Dimisit artes, et quibus leges datas
Mundus Latinae praeda virtutis tremit.
His sensus idem: nomen et patriam ferunt,
Ipsumque regem gentis Hebraeae vocant.
Postquam dolentis ore se pavit diu,
Huc torsit oculos saeva gens antistitum,
Et reperit aliquid tanta patienti mala
Quod invideret; tollat adscriptum decus
Praeses rogatur, ne vel ipsa vindicet
In morte regnum, seque privatum neget
Occidere, verbo factus imperii potens.
At ille durus perstat, atque hominis modo
Donare vitam facilis, hoc tandem negat.
Chor. Dum misera longos vita cruciatus trahit,
Quo populus adstat ore, qui circum sonus?
Nunt. pr. Non una facies: dissonae voces strepunt.
Pars moesta vultu ac corde defixo stupet:
Pars morte lenta fruitur, et quantum potest
Extendit iras; motuum discordia
Alit ipsa motus: namque miranda vice
Tristes acerbos lachrimae risus movent,
Risusque lachrimas. Fine Galilaeo procul
Comites secutae limen ad templi sacrum,
Modo quas ministras vita, nunc testes habet

Mors saeva amici, quo, licet solo, fidem
Praestant, dolendo. Lacerat haec vestis sinus,
At haec capillos, alia nudis ubera
Plangit lacertis; illius longe cavis
Resultat antris gemitus; hanc fletus rigant.
Stat ante cunctas moris exemplum pii
Pudica mater, lachrimas cuius tenet
Cernique prohibet dolor ineluctabilis.
Quo vertat oculos nescit: an figat solo?
Qua misera mente sanguinem aspiciat suum
Terra fluentem? levet in altum lumina?
Dira videbit peste convelli ac trahi
Quos peperit artus; cernere alterutrum timens
Utrumque cernit, seque permittit malis.
Propius parabat ire et amplecti arborem,
Sed haeret aegrum corpus, et medios gradus
Pedes relinquunt. Ipsa vox frustra exitum
Quaerit, potestque prope videri tristior
Pendente nato. Claudit huic sanctum latus
Bis sex sodales inter adamatus pio
Iuvenis magistro. Triste ut aspexit iugum,
Animasque dulces non minus vita, sibi
Dum vita mansit, sentit ille aliam crucem,
Graviusque torquet ille spectatus dolor.
Sed utroque tandem fortior longi moras
Rumpit silenti. Sume depositum meum
Uterque: natum mater hunc pro me tibi
Posthac adopta: tuque Zebedaei puer,
Quae fuit amici: nunc tuam matrem puta.
Haec fatus iterum flexit in poenam caput.

At parte in alia verticem miles quatit,
Nostraeque gentis vulgus, et gentis patres.
Tune ille, clamant, qui sacram rueres manu,
Idemque terna luce relocares domum?
Ostende vires. Ipse si tanti facit,
Suamque sobolem magnus agnoscit pater,
Nunc opifer adsit, spesque confirmet tuas.
Per te data aliis ecquid auctorem suum
Salus refugit? rumpe ferrum et vincula,
Descende trunco: petitur haec regni fides:
Iam te sequemur. Nec satis scindi probris
A stante turba fuerat. Est qui stipite
Suspensus, animum nunc quoque homicidam probat,
Nec fieri in ipsa desinit poena nocens,
Ac sic profatur: Ille si credi cupis,
Quem Deus Hebraeae gentis elegit ducem,
Nos teque serva. Non tulit vocem impiam
Culpae necisque socius, et tandem ferum
Ponens latronem: Nondum, ait, disces Deum
Et fas vereri, iusta quem legis sacrae
Vindicta deprehendit? et peccas adhuc
Iterum luenda? Nostra debent crimina
Quodcunque patimur. Iste quid fecit mali?
Versusque ad ipsum: Parce, te, misero, precor,
Mihi rex, mihique dominus, et laetum tua
Cum te tenebit aula, sis nostri memor.
Ille annuit benignus, eque ipsa cruce
Largitur astra: Mecum, ait, mecum sacros
Tenebis hortos, veris aeterni loca,
Beatus hospes, antequam lucis parens

Aurora referat crastinum terris iubar.
Chor. Quid hoc? repente subsilit motu solum,
Et stare tellus nescit; auratos tegens
Sol ipse vultus limite ignoto fugit.
Et saeculorum lege contemta diem
Abrumpit aether, noxque luci debitas
Invadit horas. Dira quas portant minas
Prodigia? quanto est omnibus maius malum,
Quod nec sui meminisse naturam sinit?
Sed feriit aures cursus haud longe pedum.
Tu quisquis ille es, quem satis nosci vetat
Caligo mundi, tam graves imple metus,
Aut solve. *Nunt. alt.* Periit: habuit eventum furor,
Damnatis astris, quemque, si possit, velit
Et terra fugere. *Chor.* Nil queror. Lucem tibi
Coelum remitto. Tu tamen, quando loqui
Nobis relictum est, mortis effare ordinem.
Nunt. alt. Ut crescere umbras iussit, et medio aetheris
Cursu peracto longius Titan suos
Respexit ortus, igneae sensim comae
Periere: nulla nube praeductum caput
In se recessit; quarta restabat polo
Iam pars diei, si tamen fuit hoc dies.
Audita vox pendentis, haud qualem halitus
Inter necem vitamque deprensus daret,
Sed fortis et sonora: Quid Deus o tuum
Me derelinquis? Turba crudeli ioco
Hoc ultimum fruitura, Thesbitae peti

V. 202. Thesbitae vatis i. e. Eliae prophetae. Cf. 3 Reg. 17, 1.

Auxilia vatis, ore mentitur fero,
Iamque adfuturum quantus aut ignem aut aquas
Coelo poposcit. Ille sed contra nihil:
Tantum cruore exhaustus et fractus malis
Sitim fatetur. Vase defusus latex
Amarus avidos spongiae laxat sinus:
Premit fluentem purus hyssopi viror,
Quem levat in altum dextera adstantis viri
Protenta arundo. Tincta ferali mero
Ille ora rursus aperit et clarum intonat:
Habuere finem cuncta: nunc animam hanc tibi,
Tibi hanc ego animam magne commendo pater.
Haec dum profatur, spiritus verbis comes
Prorumpit una, nilque sensuros cruci
Artus relinquit. Ille iam liber tenet
Quamcunque sedem fortiter miseris Deus
Adscripsit; at nos perdito orbis sidere
Infamia agitant monstra: nos peragunt reos
Superi inferique; namque et umbrarum vaga
Cursat per urbem turba, quam sedis suae
Incerta tellus intimo eiecit sinu:
Laxata hiatu saxa deformi patent,
Latumque functis fecit ad vivos iter
Compage rupta tumulus: unum manibus
Coelum sepulchrum est; rediit antiquum chaos
Non legis aequae gnara, non patiens vicis,
Sed qualis ante conditam lucem fuit,
Nox atra populos intulit terris suos.
Chor. Sed inter haec portenta quae circum crucem

Mens plebis? Ecquis vultus astantum fuit;
Nunt. alt. Lamenta fletu mixta foemineo sonant.
Tum siquis ipsi notus et vitae comes
In morte adhaesit, ingemit tenebris diu,
Piasque coelo tendit erepto manus,
Queriturque, tantum facere dum licuit nefas,
Mansisse solem; magna nec vitae satis
Sibi certa turba est: parsque se, pars mortuum,
Pars luget orbem; cecidit Ausoniae furor
Saevus catervae: pacis ignarae manus
Torpent, et arma gelidus excussit pavor.
Dux ipse centum solitus imperio viros
Frenare, iniqua iurat extinctum nece
Heroa, cuius ipsa se tellus neget
Perferre poenas horrido motu gemens,
Quem luce cassum lucis aeternae fuga
Coelumque moerens asserant coeli genus.
Chor. Quis iste turbae cursus ad limen sacrum?
Nam causa in illis quaelibet credi potest,
Nisi sola pietas, hisne tam impuris Deo
Litare sperant manibus? *Nunt. alt.* Horrendum, nova
Prodigia et istuc vulgus attonitum trahunt.
Namque ille pendens trabibus auratis tapes
Multiplicis ostri, scissus in partes duas
Totus recessit: prodita est sacri fides,
Vacuumque Hebraeae gentis arcanum patet.
Fatalis illa gentium quondam tremor
Sacrata Mosi cista, cui denas datum
Servare leges, gemina quam volitans super
Umbrabat ales, quemque foecundo cibum

In castra rore fudit exemplo novo,
Docens quietem septima nubes die,
Et virga cuius flore compresso ambitu
Sibi victor Aron cidaris asseruit decus,
Templi illa veteris decora quae fuerunt prius,
Periere dudum: magno in adyto cernitur
Nil praeter adytum: quicquid ignotum magis
Timuere saecla, panditur: flammis micans
Facibusque templum parte seposita sui
Admisit oculos, sive relligio feros
Pertaesa mores fugit et cerni dedit
Penetrale nudum, sive contemto loci
Horrore sola mente vult numen coli.
Chor. Positone poenis fine quem mors attulit
Natura tandem valuit, et tellus parens
Exanima placido corpora exspectat sinu?
An nuda pendent membra, et aspectu impio
Sacrae profanant vesperam noctis ducem?
Nunt. alt. Animos feroces sera relligio subit,
Ne non paratos praevia insignis sacri
Deprendat hora. Pontium accedunt ducem:
Laceros cruentis deripi crucibus rogant
Artus, priusquam victima Aegypti memor
Festaeque puras poscerent epulae manus.
Reis duobus, media queis vitae ac necis
Haerebat anima, crura saevis ictibus
Illisa, dirus ossium mugit fragor,
Simulque tenues spiritus rumpit vias.
Nec magis Iesu fata iam functo sua

Cohors pepercit Latia, sed vita vacans
Tremente miles lancea incursat latus.
Patuere ferro viscera, et apertis aquas
Venis micantes mixtus effudit cruor.
Sublata postquam corpora, et vacuae cruces
Stetere, vultu turba non uno fugit,
Pars moesta, pars attonita; quo ruitis viri?
Mactandum ad agnum? vilis haec nimium hostia est:
Mactastis hominem. *Chor.* Fallit ambiguus dies:
An triste vulgus tueor, et muliebribus
Laniata palmis pectora, et flentes genas?
At inde tardo miles Ausonius gradu
Trepidans ad altos praesidis tendit lares.

Chorus Romanorum militum.

O qui perpetua vectus in orbita
Curru flammifero tempora dividis,
Ad cuius radios noctivagus chorus
Vultu diffugiunt sidera pallido,
Qua nunc parte poli luminis arbiter
Interceptus abes? quae tenebris via?
Quis surgit medio vesper ab aethere?
Nondum te Tyriis navita Gadibus
Stridentem Hesperiis fluctibus audiit:
Non coelo rutilas surripuit comas
Nubes imbriferis foeta madoribus:
Non interpositis Luna iugalibus

V. 304. Chorus constat metro Asclepiadeo primo.
V. 311. Gades urbs Hispaniae, colonia Tyriorum.

Fraternis hodie visibus obstitit;
Quae furtiva procul lumina colligens
Pleno circuiit cornua circulo.
An captum magico carmine Thessalae
Te vinxere nurus? quis Phaethon novus
Ignaris manibus frena regens equos
Egit signifero tramite devios?
Quod factum scelus est, quo meruit diem
Nondum nocte data perdere saeculum?
Ut cum visceribus viscera condidit,
Implevitque suis pignoribus patrem
Ieiuni soboles effera Tantali:
Aut cum sacrificae filius Iliae,
Terrarum domini conditor imperi,
Cum vita pariter funera perdidit,
Divisus lacero corpore centies.
An praescripta polo tempora finiit
Natalis superum qui fuerat dies,
Et quo stare prius desierant loco
Hinc nunc astra negant currere longius?
Quae natura tui poena placet tibi?
Quo moles rapitur tanta? quis exitus?
Seu terras iterum fluctibus obruis,
Seu flammis dabitur vasta licentia,

V. 327. Sc. Atreus, qui Thyesti fratri suo coctum apposuit filium.

V. 328. Iliae i. e. Rheae matris Romuli, qui a senatu centum virorum, quem instituerat, cum acerbius regnaret, in concilio est discerptus.

Ibit qui pelagis quod feret omnia?
Supremos cineres quis cinis hauriet?
Quodcunque est solitum quod novat ordinem,
Non est hoc hominis, non populi malum:
Aut mundus patitur triste periculum,
Aut mundi dominus. Rursus an impia
Titanum rabies fulmina provocat?
An Pythone malum saevius exstitit,
Lernaeaque draco peste feracior
Coelo vipereas opposuit minas?
Ecquis nunc patrio fletur in aethere
Pressus morte Deus progenies Dei,
Donatore meri largior Euio
Prosternente feras fortior Hercule,
Intonso medicus maior Apolline?
Nobis praecipue nox gravis incubat.
Gratus quippe Deo sanguis et innocens
His fluxisse locis creditur; hoc fuit
Quod tellus tremuit, quod puduit diem.
At tu summe parens aetheris artifex,
Iratus vitiis, nec rigidus tamen
Confessos venia pellere supplices,
Humani generis crimine perditum

V. 340. H. e. quomodo ibit pelagis continens, quae ferre omnia debet.

V. 347. Python serpens natus ex putredine terrae post diluvium Deucalionis (Ovid. Met. I, 438), quem in Parnaso monte Apollo (Pythius) sagittis interfecit. Hom. Hymn. in Apoll. 300. 372.

V. 354. Apollo inventor artis medicae. Eius filius Aesculapius.

Mundo redde diem. Par semel omnibus
Unum flagitiis quaere piaculum
Quod non Threiciae relligio Sami,
Intellecta feris non cecinit lyra,
Non glebae soboles fatidicus puer
Tyrrhenos monuit doctor aruspices.
Idem nostra cruor crimina diluat,
Quem nullo meritum crimine fudimus.
Hoc placatus ades sanguine mitior,
Et pro tot populis sontibus unicum
Insons sume caput; non potuit dari
Aris ulla tuis dignior hostia.

Actus quintus.

Iosephus Arimathensis. Nicodemus.

Spectate cives: Pontii munus fero:
Ut condat hominem terra et humanae manus,
Prece obtinendum est; nescit Ausonium genus
Vel sponte recte facere, vel gratis male.
Omne est in usu facinus: his mortem imputant,
Illis sepulchrum. *Nic.* Parce vanis vocibus,
Iosephe, vel, si iusta tam dulce est queri,
Dimitte Romam, quaere propiores reos.
Quem plangis, hunc non Romuli occidit genus,

V. 365. Samothrace, v. Samothracia insula prope Thraciam, Cabirorum nobilitata sacris.

V. 366. Orpheus, mysteriorum auctor Eleusiniorum.

V. 367. Bacchus, Cereris vel Proserpinae (h. e. terrae) filius, Dionysiorum conditor.

Sed Abrahami. Vera quis sensa explicet
Oraculorum et legis e coelo datae,
Quem mente tota maior inspiret Deus,
Quis dux perennes certior monstret domos,
Pilatus ista curat? an Latio innocens
Sub teste cecidit? criminis falsi artifex
Italum senatus, an sacerdotum fuit?
Iudicio in isto Caesarine an Caiaphae
Obtemperatum est? transferas culpam licet,
Iudaea certe corda et ora, oculi quoque,
Homicidium fecere: quod superest nefas,
Hoc est Quiritum. Quam bene Hebraeis Deus
Manibus pepercit! hoc quoque Italo militi
Invidit aliquis, et scelus mallet suum.
Servire adhuc nos querimur? en caedem impiam
Impune licuit facere; quid? facere, inquio?
Licuit iubere. *Ios.* Nicodeme, unis ego
Devoveo diris Iliae et Sarae genus.
Pereant utrique. Tam diu quid fulmina
Cessant et imber piceus et mare pestilens?
Quid Sodoma tantum meruit? Haud ultra tui
Me, patria, miseret. Saevior Babylonio
Victore victor veniat, et castris premat
Urbem cruentam; bella si non sunt satis,
Foecunda morbos seminet morbis lues,
Interque damna crescat; accedat fames;
Nullos recuset impotens rabies cibos:
Cunis in ipsis vagiens ferrum tremat
Infans paternum: redeat in matrem puer.
Dum verberantur moenia incussu gravi,

Quaeratur hostis intus, et discors sibi
In se arma vertat populus, in templum faces?
Cognata dirimat agmina obsessor ferus,
Flammisque et ense Solyma vastet moenia,
Trahatque domina compede Isacias nurus:
Nec vincla solvant septies anni decem:
Populos per omnes miser et immiserabilis
Captivus erret populus: hunc iuris sui
Nulla ora, reducem nulla conspiciat dies.
Haec firma maneant vota; nil moror hoc solum,
Quod ne premam ultra, nulla tam gravis est fuga
Quam non capessam: vel si Hyperboreo procul
Subiecta plaustro littora extorrem vocent,
Quae refuga fluctu Thetis ambiguo ferit.
Erit ille patria qui patet vero locus.
Nic. Hic inter alios foedus humanum genus
Insedit error; facta quis culpat sua?
Aliena quis non? magna pars non crimina
Damnat, sed homines, dispari sententia,
Aliis severi iudices, faciles sibi.
Nos, quia profana voce non addiximus
Morti immerentem, iura nec contra et fidem
Scripsit cruentum nostra decretum manus,
Nobis placemus, magna ceu virtus foret
Non esse magni conscium sceleris sibi:
At si fatemur vera, quis forti virum
Defendit ore, quisve corrupta arguit
Livore saevo iudicum suffragia?
Quis commodavit legibus vocem suam?
Sic victa pietas fasque, dum sanctum caput

Illi loquendo, nos tacendo prodimus.
Cum nil timentes feminae illius palam
In nomen irent, nos magistrum agnoscere
Segnes pavori noctis umbram obtendimus.
Iosephe, tandem nostra sese aperit fides,
Sed in peremtum. *Ios.* Vera tu, fateor, mones.
Sed ille rapiens redditum vesper diem
Cura peragere iusta nos vigili iubet.
Non longe ab ipso Golgothae infamis iugo
Subter virentes arborum tegitur comas
Purum recensque rupis excisae cavum,
Nondum occupata manibus sacris domus.
Tumulum senectae nuper electum meae
Nunc melior hospes habitet; insignis viri
Notet sepulchrum magnus hiscenti lapis
Oppositus antro. Quis scit an mox sanctior
Adveniat aetas, turba cum hanc sedem frequens,
Et flexa regum capita, pro templo colant,
Dignamque credant et mari et ferro peti?
Nic. Aqua pura fontis, vosque odorifera e plaga
Cari liquores; saeva quos tumuli fugit
Tabes edacis, tingite hos vultus pios,
Intrate penitus ora. Non Deus hoc sinat,
Non fata, morti liceat ut quicquam amplius
Istos in artus. Siqua relligio inferis,
Non foeda tabes ossibus nudis fluet,
Nec corpus illud ulla dissolvet dies.

Iohannes. Maria mater Iesu.

Veneranda virgo, certa progenies ducis
Sub iura cuius ivit Euphratis vadum,
Quicquid rubentes inter et fluctus iacet,

Utcunque casus asperi mentem premunt,
Evince luctus, sume avitos spiritus,
Regum ille sanguis: Fata te in tuto locant.
Fortuna vires ipsa consumpsit suas
Toties nocendo; post patrum raptas opes,
Translataque olim sceptra in externas manus,
Quod te vetaret esse securam, fuit
Res una, natus; ille te absolvit metu:
Timere iam nil orba paupertas potest.
Mar. Lugere vobis forte, Iohannes, novum est:
Ego nata in hoc sum: ter decem annis amplius
Non aliud egi; nulla me species mali
Fefellit: ex quo casta coelesti satu
Detumuit alvus, dira mihi, dira omina
Cecinere vates: vidit haec Simeon senex,
Imaque in anima vulnus aspexit meum.
Cum lancinatos inter infantum greges
Peteretur unus regio ferro puer,
Nondum ille tantis fecerat miraculis
Sese invidendum: perfidos nondum dolos,
Et ficta quicquid turba Pharisaei tegunt,
Ipse arguendo traxerat caput in suum:
Spretor sacrorum, civica armorum tuba
Nondum audiebat: una adhuc erat illius
Culpa, esse natum; non tamen me terruit
Ferus ille dominus et suis etiam nocens:
Non similis haeres, cuius instruxit dapes
Cervix recisa vatis, et amori impio
Donatus oculos pavit incestos cruor:
Non plebs recusans liberas voces pati,

Et mille manibus saxa iaculatus furor.
Instare nullum credidi nobis malum,
Quo maius esse poterat; exemplo carens,
Quod nulla genitrix timuit, hoc solum fuit
Ego quod timerem. Misera, num voces meo
Quaeram dolori, potius an luctus premam?
O magne (namque hoc credo nunc etiam) Deus,
Cur ad minora regna venienti mea
Tibi placuit alvus? cur ego ad poenam tibi
Electa mater? nulla certe foemina
Quae peperit hominem, quae virum fecit patrem,
Tam saeva passa est; nulla progeniem parens
Melius adepta est, nulla peius perdidit.
Ioh. Quis maior aures planctus assuetas ferit?
Quod corpus istud, Tyria quod velo tegit
Candente sindon? ille quis venas senex
Adhuc fluentes imbre odorato rigat?
Quis adstat alter? impetu quanto ruit
Muliebre vulgus? Fallor, et moestos genis
Subito micantes lachrimae vultus gravant.
An vera video? Mater, illi artus tui,
Tuus ille sanguis; i, rape extrema oscula:
Imple parentem: filii hoc restat tibi.
Mar. Anima heu longis defessa malis
In maiores suffice luctus,
Dum crudeles apud exequias
Suprema dolor munera solvit.
Liceat niveum tollere peplum,
Carosque semel cernere vultus.
Tune ille miser? talemne tuus

V. 153. Sequuntur versus anapaestici. Cf. Sed. Act. II, 201.

Mihi te populus nate remittit?
Talem Solyme spectare iubet,
Solyme cordi dilecta tuo?
Video fossum mucrone latus,
Et traiectas vulnere palmas,
Et qui ferro patuere pedes.
Melius melius Phoebe latebas:
Quid ad haec nobis monstranda redis?
Gens aetherei conscia motus,
Vosque inprimis, quorum pietas
Partus olim venerata meos,
Coeli inversas cernite leges:
Illum mecum lugete, magi,
Quem signavit nova lux gentium,
Tenebrae occisum docuere novae.
Spes afflictae sola parentis,
Quo non piguit vivere vivo,
Nobis rediit modo rapta dies,
Te demersum nox alta premit.
Utinam planctus, utinam notas
Matris lachrimas nate videres!
Ego sum thalamis intacta parens,
Quae te verbo foecunda tuli,
Onus ignotum, cum virginei
Stupuere sinus, mirique novem
Crevere tuo pondere menses.
Ego sum, cuius iam maturo
Ventre labores lare sub tenui
Regis proavi patria vidit.
Hoc tibi fluxit de fonte liquor;

Hoc sedisti sarcina collo
Pelusiacis advena regnis,
Pharos exiliis cum fida tuis
Veteris culpae probra redemit.
Iudae soboles Memphide peior,
Si iam finem cepit rabies,
Et te, nostri miserere potest,
Longas mortis mihi deme moras:
Aut si natus nondum satis est,
Adiice matrem.
O nate nate, quicquid hic oculi vident,
Hoc quod pependit, quod mori potuit, meum est,
Meumque totum: nullus in partem venit
Genitor, nec alter vindicat quicquam tui.
Ergo omnis uni pectori incumbit dolor,
Quod te aluit et te gessit. Ingratus bona
Nescivit orbis, damna nec sentit sua.
Inops et indefensus obiisti necem,
Et nunc iaces inultus; ex illis quoque,
Te dante gressus qui receperunt suos,
Nemo accucurrit: ipsa nec turba aureae
Ignara lucis ante contactus tuos
Ad te videndum venit: atque aliquis cui
Per te redivit vita te patitur mori.
Ioh. Vera ista quereris, vera; nos toto cohors
Electa mundo filii comites tui
En unde, quo decidimus? in nobis scelus
Omne est repertum; noster est qui vendidit,
Et qui eieravit: nec nota quisquam vacat:
Fugere cuncti. Doctor o veri unice,

Amore nobis frater, imperio parens,
Ignosce lapsis: ille ego ante alios tuus.
Ego quem sacrato nox recumbentem sinu
Hesterna vidit, si quid affectus habes
Veteris, per illum, domine, te affectum rogo,
Perque hanc parentem, cuius in curam tibi
Ego dictus haeres; hanc ego ex aequo miser
Solandus ipse solor, ut possum tamen.
Iam parce mater luctibus iustis quidem,
Sed temperandis, et tuis fulci bonis
Animum labantem. Laudibus crevit tuis
Antiqua vatum charta; te caram Deo
Terras per omnes nulla non aetas canet.
Senioris aevi decora, quam longe tibi
Cessere, matres? nulla sic genuit parens,
Et nulla tantum. Foeta in aetate ultima,
Quae temere risi sensit oracli fidem,
Et illa genitrix, cuius in Pharia puer
Proiectus alga vincere undarum minas
Iam didicit infans, prole non certans tibi.
Exigua loquimur. Ipse te observat polus:
Festae tenebras noctis irradians face
Coelestis aulae turma parienti adstitit,
Cunasque adorans igneus superum chorus
Genitale cecinit carmen, et nixus sacros
Imitatus aether astra parturiit nova.
Mar. Fugiunt dolores; laetior praecordia
Subit ille motus, quem pudico pectore
Puella sensi, cum mihi interpres Dei
Spopondit uterum, fataque extimuit diu

Tam magna, matrem gerere vix docilis, pudor,
Maiora iam prospicio, et ante oculos meos
Omne est futurum. Nate tu vadis pias
Nunc inter animas maior: assurgit tibi
Sanctus parentum populus, et coelum suo
Debet nepoti. Iam tuos mors pallida
Sequitur triumphos, dum remolito novus
Exis sepulchro; non diu terris tamen
Spectandus, en mox totus ad patrem redis.
Inde ex superna sede pacatis bonus
Das iura populis: mille te linguae colunt:
Nec meta regno: trans et Oceanum tonat
Phoebumque nomen: ferrum et hostiles nihil
Nocent furores: vincis, ac magni duces
Augusta pedibus sceptra subiiciunt tuis.
Quin tempus illud meta saeclorum prope est,
Cum nube in alta tot sedebis gentium
Quaesitor, orbe cum reformato manet
Nox una sontes, una purgatos dies.

HUGONIS GROTII

SOPHOMPANEAS

TRAGOEDIA.



Argumentum.

Historia exstat apud Mosem Geneseos capitibus XLIV et XLV., adiunctis quae ibi connexa: in Psalmo CXXV.: actuum Apostolicorum capite VII, apud Philonem vita Iosephi: apud annalium Iudaicorum conditorem Iosephum antiquae historiae libro II.: partim et apud Iustinum ex Trogo Pompeio libro XXVI.: exstitit et apud Astapanum ex Alexandro Polyhistore, et apud Demetrium, quorum loca videre est apud Eusebium praeparatione ad Evangelium.

Interlocutores.

Iosephus, qui et Sophompaneas.
Chorus Aethiopissarum.
Ramses curator domus Sophompaneae.
Iudas,
Ruben, fratres Iosephi.
Nuntius.
Simeon,
Beniamin, fratres Iosephi.
Pharao Aegypti rex.

Mutae personae.

Manasses Iosephi filius.
Comites et satellites Iosephi. Item regis.
Fratres alii septem Iosephi.

Scena est Memphide.

Actus primus.

Ios. Rursum fugata nocte formosum caput
Sol promit orbi, qualis e thalamo novus
Surgit maritus veste purpura nitens.
Dies recurrens lege praescriptae vicis
Dominum fatetur: et datum cerni iubar
Omni ebore et auro rectius monstrat Deum,
Intelligendae lucis habitantem plagam.
Rediere pariter cura et immitis labor:
Tantique regni quicquid a Meroe iacet
Adusque littus, brachiis quicquid suis
Definit amnis, ille caelitibus suo
A fonte notus, corde sollicito sedet.
Miretur alius quas dedit Libanus trabes,
Maculisque varium marmor et silvas domi,
Et arte factas tot dapes, et piscium
Ignota Nilo genera, et a medio die
Quae nomen etiam nunc sibi quaerunt feras,

V. 9. Meroe, insula Nili in Aethiopia, finis Aegypti in meridiem.

Longeque ab Arabum nemore fugitivas aves:
Lanamque ramis Sere depexam manus,
Discriminavit docta quam Babylon acu;
Niveasque baccas Indici donum maris,
Circumque limen, corpus et circum, agmina.
Sunt ista vana, et aerumnis leve
Pretium ferendis. Grande curarum tegit
Onus hic tiaras: inter ea quae regiis
Parenda iussi, fulgor est, qualem exigit
Persona vitae; qui micans oculos tenet
Animosque plebis: utor hoc ego, non fruor.
Quanto fluebat vita liberior mihi,
Cum corde vacuo sequerer investis puer
Ab Abrahami pecore demissum gregem,
Ubi laeta Sicimum pascua attondent oves,
Et amoena gemino clauditur tellus iugo.
Cepere victum, non sibi magno placens
Ambitio mensae, floribus sed se inserens
Mandragora dulcis, et nihil quamvis gravi
Onerata foetu palma; pellebat sitim,
Non rutila Meroes vina, non Nilotica
Expressus humor fruge quem zythum vocant:

V. 19. Seres (Σῆρες) populus Asiae extremae, unde vestes Sericae. Acu pingendi arte insignis Babylon. Baccae i. q. margaritae.

V. 32. Sicimum (a Σίκιμα Sichem) i. e. Sichemitarum.

V. 36. Mandragora (μανδραγόρας) m. planta incerta. Cf. Gen. 30, 14.

V. 39. Zythus (ζῦθος) cerevisiae genus. Cf. Her. II, 77.

Sed sponte saliens ex humo maioribus
Potata nostris vena; pro sistris erat
Compacta ceris canna, quae Syrios modos
Aequans, canebat orbis artificem Deum.
Si tunc patris sub ore, germanos prope
Solos videntem, livor invenit tamen,
Potentiaeque, sera quae venit mihi,
Nocturna imago tam fera innocuum in caput
Concivit odia, nunc quid exspectem, advena
Memphiticae telluris, in fastigio
Adeo eminente positus ut cunctos premam?
Et est Phari gens aspera, et cives quoque
Cervice dominos saepe non facili ferens.
Quo maior est haec fraena moderari labor.
Peccant remissae, nec minus rigidae manus.
Vult mitis adici lenitas pondus sibi,
Modestiaque comite maiestas eget.
Sunt ista per se gravia: sed gravius tamen
Accedit aliud. Cum ratem pelago sua
Fert aura, cursum regere mediocris valet
Puppis magister: artis eximiae est opus,
Cum dubia ventos inter incertos hyems
Flagellat undas, vique nimborum vadis
Commotum ab imis surgit in montes mare,
Reperire fluctus per procellosos iter.
Qualis fatigat saeva tempestas tuos
Aegypte fines, spem bis agricolae suo

V. 41. Sistrum est genus tintinnabuli in sacris Isidis.

Mentita culmis fruge carituris seges,
Periculosum semper imperiis malum.
Retinere quippe nescit obsequium fames,
Nullosque sentit vulgus impastum metus.
Rerum parenti maximo grates ago,
Laudesque summas, quod Phari trepidis volens
Consulere rebus me voluntati suae
Legit ministrum, fataque inscripsit meae
Ventura menti; pensat ubertas prior
Quod deest, et annos larga nunc steriles alit.
Nec munere una vivit Aegyptus meo:
Et Syria nostram postulat supplex opem.
Hanc summus orbis dominus invenit viam,
Missis ut olim somniis faceret fidem.
Bis fame subacti genua ad ignoti mea
Cecidere fratres: ipse miserandas preces
Bis mihi per illos genitor allegat senex,
Et quae parentis implet extinctae vicem.
Ego illud astrum, cuius auratum iubar
Hyades quaternae, Pleiades septem colunt:
Inclinat et cui Luna cornigerum caput,
Titanque radios ipse submittit suos.
Ego, ira fratrum mihi quod intendit necem,
Meque illa mercem fecit, et duram dedit
In servitutem, deleo ex animo omnia,
Ad lenitatem natus, a sancto patre
Ad eam institutus, et malis exercitus.
Sed, ne quod illis sedeat in praecordiis
Male expiatum virus antiquum mali,
Pia cura me remordet; huc sollertia

Tota advocanda est, cordis ut pateant mihi
Arcana, multa tegere quae nubes solet.
Huc pertinebat et quod hesternae dapis
Aetate minimus maximas partes tulit,
Scire ut daretur ore et oculorum notis,
Ferrentne fratrem sanguine ex toto meum,
An veteris odii pectore haereret cinis,
Necdum satis liquebat: instandum amplius.
Servile fictum crimen, atque inde imminens
Puero periclum, deteget siquid latet.
Non recta semper sulcat adversum mare
Carina: prodest saepe prolato pede
Sinuare cursum, et vela in obliquum dare.
Est et probandis usus interdum dolis.
Spero, reperiam: sin minus, faciam bonos.
Ades Manasse, si tibi quondam viro
Pars se aliqua regni credit, Aegyptus tibi
Sit patria: sic est merita; benefactis data
Remunerare; proximum numen Deo
Regem putato: prima sit legum, illius
Obsequia iussis pendere, et rebus fidem.
Tum fastus absit, mentis inflatae tumor.
Res est potestas fragilis, et regum favor.
Supermicantem ducibus in planum levis
Tulit hora; paullum saepe ab imperio interest
Ad supplicantum verba et alienos pedes.
Si dignitas tua laesa, si damnum datum,
Da facile veniam. Prona gens labi sumus
Homines, quod olim primus ostendit sator,
Furtiva vetita poma cum tetigit manu.

Dat ipse se facilibus exorabilem,
Suaque lege quemque metitur Deus.
Suprema virtus atque virtutum omnium
Perpetua custos et triumphatrix necis,
Pietas habenda est; otium semper fuge,
Vitiis amicum. Vult honos sese coli.
Nam fulgor ex quo gentibus monstrat virum,
Ut magna non sit fama, vitari nequit;
Sed sit decora an turpis, hoc in te situm est.
At nunc eamus visere obscuros specus,
Quibus urbs recondit magna Cereales opes,
Mandata fidei nequa pars nostrae labet.

Chorus.

Facundis domini fessa prophasibus
Noctis damna die certa rependere,
Asnethe nitido sola iacens thoro,
Ne somnum strepitus turbet amabilem,
Nos stare aerisonas hic iubet ad fores:
Quas illi famulas misit ab ultimis
Nubarum populis, quos Niger alluit,
Rex Chusi genitus sanguine nobili,

V. 139. Chorus constat metro Asclepiadeo primo. Prophasibus i. e. simulationibus.

V. 141. Asnethe, Putiphari, sacerdotis Heliopolitani filia, Iosephi uxor. Cf. Gen. 41, 45.

V. 146. Chus, auctor gentis Aethiopicae. Cf. Gen. 10, 6. 7.

Torta, non acubus, fluminis in modum,
Sed Phoebi radiis conspicuas coma;
Depressas patulis naribus, et cutem
Signatas nimium contigua face;
Crassis labra quibus sepibus obtegunt
Candorem niveum dentis eburnei.
Fortunata domus, quam parili fide
Indivulsa regit copula coniugum.
Fert vultu soboles patris imaginem:
Gaudet casta suo teste puerpera:
Nec vir barbaricae more potentiae
Noctes multiplici foedere dividit,
Litesque atque odium seminat in domum:
Unam totus amat; pectore tam bono
Externis locus est nullus amoribus;
Quos pridem iuvenis vincere noverat:
Cum servus domina liberior sua
Flagrantes oculos mentis adulterae,
Nudatosque sanus, verbaque mollia,
At mox imperii iure minacia,
Contemsit, veluti dura solet silex
Spumosos pelagi spernere vortices.
Visne, inquit, triplici me scelere obligem,
Ut, matrona, tibi dedecus adferam
Et frangam domino, quam pepigi fidem,
Et sancita Deo foedera polluam?
O qui siderei tramitis arbiter
Iusta lege vices temporis ordinas,
Ut nunc purpureis ver niteat rosis,
Nunc messem segeti Sirius excoquat,

Nunc vini laticem palmite coerulo
Autumnus pariat, nunc subiens hyems
Tellurem gelido sidere temperet,
Idem cur pateris colla nocentium
In sublime caput ferre, bonos premi?
Stuprum corde ferens foemina, corpore
Insontis spolium, saeva libidine
Frustrata, iuvenis vincla paciscitur,
Translatoque virum crimine decipit,
Corrumpens animum iudicis osculo.
Illum, quem triplici muniit aggere
Formae rara comes candida castitas,
Saevus carcer habet; sanctus et innocens
Veros inter agit mixtus adulteros.
Ast illic etiam, quanta sit, edocet,
Leges connubii fallere, foeditas.
Miratur iuvenis verba senilia,
Morataeque decus frontis, et os probum,
Atque iniecta oculis fraena pudentibus,
Vinctorum populus; carceris occupat
Consors officium iudicis: illius
Vitam quisque videns, se peragit reum.
Ut non tota fugit nos ratio Dei,
Sic nec tota patet; non habet is suos
Laxe, non nimium molliter; ut bonus
Dux virtute sui militis utitur,
Indicitque operas: sic pater omnium
Vult durare malis quos amat, et cavet
Ne marcore situm pectora contrahant.
Verum non inopes interea tamen

Solati patitur, dans animos suis,
Sustentansque hilari spe patientiam.
Sic noster tenebras inter et horrida
Ferro claustra domus, iuris erat sui,
Servabatque alios; ante cupidine
Intactus, trepidi tunc domitor metus.
Qui pulchro dominam corpore ceperat,
Captivos animi cepit honoribus,
Custodemque loci; plebs miserabilis
Unius fidei creditur: accipit
Hinc praesaga suis fascibus omina,
Regnumque in medio carcere possidet.
Quo solis radii vix penetraverant,
Lux divina venit, seque sub illius
Puro corde locat: sontibus explicat
Nocturnos monitus: commodat os Deo:
Huic poenam, veniam nuntiat alteri.
Sic fluxere dies temporis asperi,
Donec Rex pavidus noctis imagine
Frustra Niligenas consuluit magos,
Frustra, quid struerent fata novi, polo
Inter sidereas quaesiit orbitas:
Vatemque immeritis suppliciis levans,
Induxit manibus gemmea vincula,
Et byssi niveo tegmine vestiens,
Praefecit dominum gentibus alterum,
Et dextrum solio constituit suo.

Actus secundus.

Ramses. Iudas. Ruben.

Ram. Et me tuae miserescit aetatis, puer,
Quem trahere magnos ad Sophompaneae lares
Manibus revinctum cogor; at ratio imperi
Non constat aliter, nosque lex iussis heri
Iubet ministros esse, censores vetat.
Iud. Si patere, Ramse, pauca pro puero loquar,
Si non sat illum liberat tali probro
Ingenua species oris, atque anni doli
Vixdum capaces, pende quod factum dies
Hesterna vidit; hoc quod adstrictis boum
Tergoribus aurum publica cusum nota
Abdiderat error vester, in Syria fuit,
Ubi vindicare nemo, nec poterat queri:
Retulimus ultro: munera addidimus soli
Exigua, fateor, balsama, et mortalium
Imitata digito poma, et haud uni malo
Medicamen herbas, quodque de myrrha fluit,
Apumque nectar atque amygdalinas nuces,
Si maius isto ferre potuissent onus
Nostrae quadrupedes, iam puto nos diceres
Non esse avaros, improbos multo minus.
Ram. Inanis, horas perdere in voces labor,
Res, quas refellit. Quod datum pretium, modo

V. 2. Sophompaneas (hebr. Zaphnatpaaneach, salvator populi interprete s. Hieronymo) nomen Iosepho a rege Aegyptiorum inditum.

Pro Cerere, clausum sarcinis vestris fuit,
Omitto: plena talium nostra est domus.
At patera, pueri iuncta quae rebus fuit,
Est illa, dominus ipse qua vitis solet
Libare laticem, cum preces rerum patri
Pro se domoque fundit, et pandi sibi
Poscit futurae sortis e caelo notas.
Nam magnus illum saepe dominator poli
Omnes latentis conscium arcani facit.
Iud. Si arcana novit, nos quoque haud dubie sciet
Esse absque noxa. *Ram.* Pectoris vestri sinus
Excutite; verum rectius dicet tibi,
Quam tu ipse, nemo; sed cave te iudices
Ex parte; vitae tota, quanta illa est, tibi
Spectanda series; non repraesentat sua
Supplicia semper, lentus irasci Deus:
Sed vetera cernens vitia cumulari novis,
Gravitate poenae temporis pensat moram.
Impune scelera saeculi tulerant diu
Veteris gigantes, antequam caelum mari
Confudit undas, et suas caelo mare
Undas regessit, summaque in iuga montium
Saliere nullis clausa littoribus freta.
Diu superba dicta et in superos minas
Iactarat aetas illa, cui concordiae
Rupere foedus vocis ignotae soni.
Post multa sero facta saeviciae trucis,

V. 30. Cf. Gen. 44, 5: scyphus, in quo augurari solet, ut scilicet putabant Aegyptii.

...eris inventas faces,
...bre sulfureo polus.
Rum. ... Dothan nomen et vasti specus
... princeps, tuque avara Arabum cohors
... emere, quam nunc memoria
Ad vos recurrit tristis, et cor verberat!
Iud. Monuisse memini saepe, ne tantum nefas
Admitteretis; haeret hoc animo recens
Miserum rogantis vultus: illae nos premunt
Caelo receptae, fratribus surdis, preces.
Iud. Alios monere facile; si propriam tibi
Inspicere vitam cura, non deerit nefas.
Rum. Quis oris iste turbidi inter vos sonus?
Iud. Syriae repetimus clara quae nostri loca
Tenuere patres, omnibus circum incluta
Bonitate noti; dexteras magni quibus
Iunxere reges, et probaverunt fidem:
Quorum hospitale pectus et mores probos
Grata celebrat laude, Iordanis vadum
Quae terra et undas inter Euphratis iacet.
Rum. At non propago semper in laudes patrum
Succrescit. Est cum degener proles probro
Libidinoso, perfidis pactis, fero
Facinore, turpat generis auctores sui.
Iud. O pars nostri sanguinis, aevi

V. 53. Dothan (Dothain), quo loco Iosephus venditus a fratribus est. Cf. Gen. 37, 17.

V. 75. Sequuntur anapaesti. Cf. Sis. Act. IV, 168.

Primo vernans in flore puer,
Donum infelix aetatis habes,
Nescire quibus mergare malis.
O dulce rubens gratia vultus,
Permixta velut purpura lacti,
Aut nascentis lux prima rosae:
Tuque o Libyco concolor auro
Coma, deliciae lenibus auris:
Quis te diri stipitis ictus,
Aut, si poterit mors dura fugi,
Horrida quae te specus exspectat?
Aut qua, nobis et patre procul,
Regione iugum famulare feres,
Heu non tales natus ad usus,
Regum sociis generatus avis?
Non te varia veste decorum
Laetus cernet cursare pater:
Non armentum pascere fessis,
Cum sol medium transegit iter,
Properata feres prandia nobis.
Et forte aliquis (namque malignis
Tellus animis non ulla caret)
In te rursus crimina finget,
Cum te cernent inopem, externum
Vindice nullo.
Ram. Laudo, propinquo sanguinis vinclo tibi
Quod amas ligatum. Discrepant mortalium
In multa mores: scita sunt aliis locis
Alia, ut voluntas sceptra tractantum, aut sua
Cuiusque patriae et gentis utilitas tulit.

Lex ista ubique est, quae nec in tabulis cedri,
Nec in aere pendet sculpta, nec stat marmore,
Sed corde in ipso est scripta communis manu
Auctoris: illam qui fugit, sese fugit.
Ferae quoque ipsae genere consortes amant.
Iud. Ipsos dolores tangis, ut nequeas magis.
Sed ecce densis praeses Aegypti venit
Stipatus armis ad laris limen sui.
Quae nunc neganti, quod putant certum, fides?
Quae confitenti venia? vim sapientiae
Mihi demit omnem, nec sibi vultum sinit
Constare culpae conscius veteris pavor.

Ramses. Iosephus. Iudas.

Ram. Deprensa noxa est; salva res; illum penes
Sacrifica latuit patera, quem vinctum vides.
Unum retraxi: sponte grex fratrum it comes,
Monstratque luctum vestibus ruptis suum.
Ios. Quae vos cupido misera, quae fiducia
Ad hoc adegit facinus? an vobis ego
Ignotus adeo, plenus afflatu Dei,
Cui monstrat animus quicquid abstrusum latet,
Et alia vates perspicax prudentia?
Iud. Magnanime princeps, proximum regno caput,
Ad tua voluti genua, quae iam possumus
Reperire pro re verba? quem fandi modum?
Quo nos tueri teste, quos peragit reos
Deus ipse? Sed tu gentium domitor doma,
Quod maximum, iram: nec velis quantum potes.
Munus tuum tuere: quam contra famem
Vitam dedisti, rursus ex poena eripe.

Hominem facit res una contiguum Deo,
Servare lapsos. Sume nos nexos tibi,
Hunc patera sub quo sedit, et fratres decem.
Ios. Mos ille multos tenuit et multos tenet
Populos Eoi generis, ut poenas vetent
Intra nocentes stare, sed contagio
Patres eodem, liberos, fratres trahant,
Et quinque culpae non suae involvant domos.
Me praeside aliud ius in Aegypto viget,
Et ut per omnes vigeat aetates, precor.
Sibi quisque peccat: longius non it metus,
Quam facinus: haeres nemo suppliciis venit.
In quo repertum est crimen, is servus meum
In ius abito. Caeteri immunes malo
Repetite, qui vos avidus exspectat, patrem.
Iud. Quanquam loqui me terret et noster status,
Et oris illud specimen augustum tui
Regi secundum, si vales in nos graves
Suspendere iras, pauca non dura precor
Ut aure capias verba, contentus, miser
Quae fundo, sed quod ad preces satis est, homo.
Quo tempore ad te prima nos duxit fames,
Interroganti nostra respondi tibi,
Nos patre genitos qui supra humanae modum
Aetatis annis vinceret saeclum senex.
Illi esse natum, nos decem praeter novo,
In flore vitae, gaudium et lumen patris:
Quippe, editum curricula cum circum ultima
Senis iret aetas, deque genitrice unicum,
Carente pridem luce quem quondam alterum

Idem pepererat uterus; hunc duci tibi
Puerum imperabas, ut foret quem tam potens
Benignitate gratiae impleres tuae.
Ad ista nobis profuit contra nihil,
Dixisse, vitae fila rupturum patri
Divortium animo pignoris cari suo.
Nam tu negabas copiam nobis tui,
Nisi advenitet ille, conspectus dari.
Quae dura postquam verba percepit senex,
Sedet silens lachrymansque, canitiem sacram
Et ora foedans pulvere ac turpi luto.
Consumta cum iam tota deficeret Ceres
Quam ripa Nili dederat, et trepidi invicem
Obverteremus ora, vicina fame.
Iremus alias quaerere Aegypti dapes
Senior monebat usque; nos obtendere,
Tua iussa non flectenda: si parvus domi
Frater maneret, spem cibi nullam super.
At moestus ille: filios peperit duos
Nostro fidelis socia coniugio Rachel.
Horum prior de latere discessit meo
Nunquam videndus; eius heu miseri truces,
Ita nuntiastis, membra lacerarunt ferae.
Si nunc ab oculis alterum rapitis meis,
Et aliquid illi eveniat, (in multos enim
Humana casus vita perpetuo patet)
Respicite canis oro quid fiet meis.
Luctu peresus, tabe tristitiae fluens
Abibo luce eiectus ad mortis loca.
Nunc te per illum quaeso, si fas est, senem,

(Fuit et tibi olim genitor) atque animam illius
Quae tota puero pendet ex isto, levi
Fugitura motu, siquid inciderit grave:
Caussam senilis mortis adscribi tuis
Ne patere titulis, magne servator Phari.
Vicarium me sume servitii, precor.
Onus domorum est tener et invalidus puer.
Mea maior opera; me patri feci vadem.
Ne cogar illum aspicere violata fide,
Ne me gemitibus atque lachrymarum imbribus
Accuset, et cum fuerit in terrae sinum
Condendus, ipse crimen ibi condam meum.
Ios. Nec cuncta quae tibi dicta, nec credo nihil.
Qui constituere properat, ingreditur viam
Ad poenitendum. Videro mox amplius.
Iud. Felix nimis Iosephe, si extinctus iaces,
Quod ista iam non patere nobiscum mala;
Si vivis, ipse quod tuas iniurias
Non sinit inultas aetheris magni parens.

Chorus.

Qua nascentes solis radios
Videt Aegyptus, tellus iuxta
Phoenissa iacet, quam gens hominum
Meritis partes novit in ambas,
Dubiam magis an prosit, an obsit.

V. 214. Chorus habet anapaestos.

Pulchra inventis fama Taautae
Quicquid pelagus tellusque vident,
Quicquid caeli mobilis orbes,
Et qui Totum colligat aer,
Quicquid Toti par mens hominum
Reperire valet, quater id senis
Omne legendum praebere notis.
Sed gens eadem, quasi non morbi
Satis atque ferae raperent hominem
Quique obsedit latro Niliacas
Crocodilus aquas, genus addentes
Ad fata novum, rate coeperunt
Fragili fluctus sulcare maris
Nec conspicuum reddere littus,
Sed qua medium pelagus terras
Effugit, Austros Ursamque sequi:
Non ut populis possent longe
Ferre remotis quae naturae
Pauca petentis postulat usus,
Sed ut aequoreos tincta cruores
Humeris regum lana niteret,
Ut gramineum dites ornans
Digitos vomeret gemma virorem.
Facit haec auri malesana sitis.
Haec, quae docuit spernere caeli
Pontique minas, tenuique animam
Credere ligno, dira cupido,

V. 219. Taautes inventor esse literarum fertur Sa chuniathone ac Plinio testibus.

Hominem in quae non crimina cogit?
Hinc illiciti licitique procul
Discrimen abit; nulla rapinas
Prohibet pietas, placet ex omni
Quaesita loco praeda, nec ipsis
Parcitur aris.
Felix aetas prima parentum:
Cum divitiae fraga fuerunt,
Et quos manibus consita nullis
Sponte sapores protulit arbor:
Lex una fuit, nescire nefas,
Vitaque simplex, et casta satis
Corpore nudo.
Postquam vallum facta pudori
Tunica, et iam vi pendere fruges
Terra coacta est, fas ruperunt
Sanguinis irae: praescidit aevi
Cursum fratri fraterna manus.
Non hic hominum constitit audax
Labor: ima fodi sensit trepidans
Viscera tellus, meliusque latens
Duri chalybis vena reperta est.
Non trux ultra singula carpsit
Corpora caedes: ferrum magnos
Una populos messuit hora:
Et vis scelerum, belli titulo,
Tanta secuta est, quantum haud ultra
Tolerare valens, maris in se undas
Terra vocavit: nec minus illo
Aliud caelo mare delapsum est,

Quali sese fremitu Pharius
Cautibus altis deiicit amnis.
Sed nec succum profuit uvae
In spumantes pressisse lacus.
Damna accepit tunc magna pudor.
Natis patrum risa senectus:
Peperit patri nata nepotes.
Quid non reperit foeda voluptas?
Tibi gens Mesoris multum et nostro
Gratulor aevo, cuius culpas
Quam datur arcto fine coercet
Dux egregius, vitium resecans
Lege severa: sed et ipse suo
Magis exemplo certat sanctos
Reddere mores.
Placet hic morari; magna res coepta est: libet
Videre tandem quem sit habitura exitum.

Actus tertius.

Nuntius. Iosephus.

Nunt. Quae pars feroces maxime populos habens
Rubrum vetat coire Carpathio mare,
Tota est in armis; quisque ius dicit sibi,
Spretoque magni regis imperio furit.

V. 284. Mesoris i. e. Aegyptia gens. Cf. Gen. 10, 6. 13.
V. 1. sq. H. e. Arabia Petraea.

Ios. Grave: sed frequens iam gentibus Phariis ma-
Sed non medenti sufficit, quali lues [lum.
Flammetur aestu, nosse, quam partem premat,
Quibusque sese suscitet stimulis dolor.
Noscenda morbi caussa; tu nobis quoque
Edissere, ex quo fonte manarit malum.
Nunt. Prima a nomarchis causa, qui iussis tuis
Inobsequentes, dum nimis lucro student,
Pretioque magna farra trans finem vehunt,
Parce dederunt ruris habitanti loca
Alimenta plebi: deinde mox minus et minus.
Vitam diu protraxit aliena fame
Opulentus emtor: tradidit panem manus
Egena: tanta maior erat auri fames.
Postquam per agros tota defecit Ceres,
Pecori invidere coepit, et stratum solo;
Virgulta et herbas vulgus in ventrem tulit.
Nec in eo videbat turba quid faceret mali.
Nam vacua simul ac terra graminibus fuit,
Periere nigra tabe lanigeri greges,
Bovesque, et hominum quidquid in pastus dedit
Natura; miseri, ruris excubias canes,
Ibimque, et alia foeda contactu quoque,
Vertere in epulas; quis putet? multi aspides
Venantur, et venena prudentes edunt.
Stat turpis ore pallor et fluitat cutis,
Abactaque intus lumina atque artus hiant.
Pressit querelas gemitus infelix diu.
Tandem unus alterque otio soliti pigro
Traducere aevum, laevaque ausi etiam prius

Iacere in potentes verba, dum vesper polo
Obducit umbras, dum color rebus perit;
Colligere coetus, atque ibi veteres novis
Aggerere culpas: aut ubi thura, ut pios
Faciunt miseriae, populus adolebat Deo,
Captare turbam. Quem sibi esuries modum
Haec sperat? aiunt; nostrane hoc patientia
Exspectat, ut sit pugna quis cuius prior
Discerpat artus, natus ut patris veru
Coquatur, atque redeat in matrem puer?
Potentiam timetis? haec nihil est, nisi
Inane nomen, quod parit segrex pavor.
Quicunque terret singulos, cunctos timet.
Haec quisque semel audita, quoquo advenerat,
Profert et auget. Parva pars ad te preces
Suasere mitti, victa quorum auctoritas.
Pars magna ut oestro tacta plus motoribus
Insanit ipsis. Impetu quanto ruunt
Per inane venti, montis et rupti latus
Iactant, et alta robora excutiunt solo:
Sic conglobata rapitur agrestis cohors,
Sudes praeustas saxaque et fracti ferens
Partes aratri; mille vox linguis sonat:
Petenda Coptos, sede dominantum potens:
Ibi panis; ibi vindicta. Capit exercitus
Vires eundo; plurimi, qua transitus,

V. 58. Coptos urbs Aegypti superioris, frequens mercatu.

Numerum stupent faciuntque. Cum ventum prope
Et urbs in oculis, claustra portarum petunt
Flammante taeda; traxit acre incendium
Abies, et ingens Eurus adiuvit faces:
Sparsus propinquas ignis invasit domus:
Volitant favillae: piceus ut coelo globus.
Dumque urbis illuc populus accurrens parat
Remedia flammae, ruris hoc usa agmina
Pavore, muri parte neglecta irruunt,
Statimque rapta publicis penetralibus
Arma induuntur, et vibrant enses manu.
Ios. Solos nomarchas ista seditio petit?
An latius vagatur, et discrimine
Sontes remoto miscet innocuo gregi?
Nunt. Rabies in ipsos prima rectores furens
In frusta multos carpsit, atque horum nihil
Tumulo reliquit; profuit paucis fuga,
Quos nunc ferarum deviae latebrae tegunt.
Mox horrea invasere; quae potuit Ceres
Servato recte temporis longi famem
Arcere populo, rapta sine lege ac modo,
Mali diebus attulit paucis moram.
Primordia haec fuere; sed non vis stetit
Qua coepit, ire in peius, ut morbi solent.
Quae clara pendent dona templorum tholis,
Quae publici usus gaza, privatis sua
Quos arca census servat, in praedam venit.
Nec ignis avidas arcet inhiantum manus:
Diripitur ardens Coptos; ingenuam quoque
Pubem, virosque nobiles captos trahunt,

Pretioque servos barbaro mittunt solo.
Ios. Quis ausus emere liberi iuris genus?
Nunt. Arabum regentes arva, bisseni duces.
Ios. Gens ista mores Agaris iniustos refert.
Sed in urbe capta nunc quis imperii modus?
Nunt. Non una mansit forma: ductorem sibi
Legere summo iure: displicuit cito.
Impositus armis alius, et vincta additis
Sociis potestas: sed nec hoc mansit diu;
Datumque turbae regimen; ibi sententia
Clamore certant, imperatque audacia.
Contenta verbis nec manet discordia:
Vulneribus agitur: ipse conflictum trucem,
Motasque vidi mutuam in caedem manus.
Ios. Spondent paratam quae refers victoriam.
Ramse, properiter quot potes turmas rape,
Cincturus urbem. Fecero iustae brevi
Adsint cohortes, et per infernos specus
Qui moenia intra militem obscurum locent.
Nec deerit aries horrido incussu gravis,
Nec capite tecto vineae serpens opus.
Per haec potitus urbis, armatum gregem
Imbuere Phario sanguine aut praeda cave.
Exspectet a me commoda et pretium suo
Miles labori: sufficit rex omnibus:
Ne civium dolore sibi quaestum parent.
Civile regimen da nec opulentis nimis,
Qui multa habentes semper in maius tamen
Sua vota mittunt, tamque nil parentium
Populo volunt licere quam nil non sibi:

Nec contra egenis, quippe cor quorum exedit
Inimicus aequo livor, insociabilis,
Aliena cernens lumine infesto bona.
Quod civitatem continet, medium est genus,
Luxu remotum, sorde contemta vacans.
Hinc, quae per omnes lance distribuas pari,
Alimenta mittam. Quicquid aspiciens Cyprum
Littus, rubentes inter et fluctus situm est,
Qua parte Pharius limes extrema sedet
Tellure, denso turrium obtentu tege.
Venient favente tempora aetherio patre
Meliora, cum gens sentiet vires Phari
Nabataea, nostris quae frui gaudet malis.
Tenebricosus servet imperio male
Usos nomarchas carcer, atque illos simul
Quibus inquinata caede rectorum manus,
Quamvis nocentum, more non tolerabili
Et hoste pacis. Illa terrebunt magis
Supplicia, quae non ira constituet recens,
Sed amica gravibus tarda consiliis mora.
Veniam ferunto, qui satis delinquere
Habuere tantum, iusserat quantum fames:
Non quorum avarus sese in alienas opes
Immersit animus. At quibus popularium
Ludibrio quaestuque libertas fuit,
Nunc iura poenis sentiant ipsi suis
Quae reppererunt: terra viventes premat:
Ibi per laborem tempora, erepta die,
Dimetientes compedem duram trahant.

V. 131. Nabataea gens h. e. Arabes.

Sed et hi tamen pascantur: et quam facinore
Laesere diro patriam, exemplo iuvent,
Spectaculoque miseriae prosint diu.
Fac ista cures. Quae domum spectant meam,
Iam pauca ego intus fidae loquar.

Iudas. Simeon.

Proh, qualis iste, Simeo, vir! quam provide
Cuncta ordinavit, quam peraequavit bene
Supplicia meritis, iuris ac recti tenax!
Sim. Talem diu iam video, pro vobis ego
Dum servor obses. Saepe conspectus mihi
Sedere, et aequus partis utriusque arbiter
Audire patiens dicta: nec verbo levi,
Nec ore motus prodere indicium sui.
Valebat illo testium sub iudice
Fides magis quam numerus: et testis locum
Implebat ante vita quae fuerat rei.
Legum studebat persequi normam, nisi
Suaderet aliquid tristibus clementia
Detrahere poenis, non tamen sic lenitas
Nimis ut soluta demeret vitiis metum.
Iud. Quid esse dicam, quod Sophompaneas, heri
Nos hospitali largus excipiens dape,
Hoc, quem dedit natura, disposuit loco?
Sim. Mihi crede, quod tu, frater, eximium putas,
Minimum est in illo; magna vis illum Dei
Inspirat, et, quae non valet mens assequi

Mortalis, intus spiritu aetherio monet.
Iud. Quae se ista tanto porticus spatio explicat,
Amplexa totam latere tergemino domum?
Sim. Istam petitis littore usque ab Ionio
Fieri columnis iussit in amicum suum
Rex non avarus. *Iud.* Intus aspicere an licet?
Sim. Licet, et iuvabit; namque et hic multo litas
Colore tabulas, opera sollicitae manus,
Rex iussit addi, quae Sophompaneae decus
Et acta monstrent hospitum conspectibus,
Ut ipse famae vivus intersit suae.
Iud. Eamus ergo. Ne time: non, Beniamin,
Te deseremus; non tuos fratrum chorus
Effugiet oculos, ilicetque aderit tibi,
Simul atque magni praesidis cardo strepet:
Sim. Haec opera visu, quam potes, propero rape.
Iud. Quid ista sibi vult femina iratum rubens,
Quae crine vulso lacera et humectans genas
Chlamydem simul fugientis a tergo rapit?
Sim. Matrona forma simul et imperio potens
Stimulis negati saevit in castum stupri,
Regeritque crimen, sceleréque obvelat scelus,
Mendacioque pignore hoc quaerit fidem.
Iud. Video nigrantem carceris saevi domum.
Sim. Hoc ille clausus crimen alienum luit.
Iud. Quis de racemo triplice tres uvas premens
Geniale regis fundit in phialam merum?
Sim. Non gesta res est: sed Sophompaneae fuit
Qui vinculorum socius, hanc somno datus
Imaginem conspexit; et, Phoebi iubar

Simul extulisset tertiam coelo facem,
Se rursum ut ante regiae poclis fore
Mensae ministrum, didicit illo interprete.
Vocem secutus exitus vatem probat.
Heu quam brevis memoria factorum bene!
Ex carcere illo pristinum indeptus locum,
Insignis opibus, gratia clarus, potens
Honore, mansit cultae amicitiae prius
Praesagiorumque et sui pacti immemor,
Donec suum bis signa per bis sex iter
Sol explicaret, et Phari sapientibus
Obscura regis quaereret vatem quies.
Iud. Est alia tetra tristis in caligine
Species. Canistra plena regalis tria
Mensae paratu lancinant rostris aves
Epulasque dulces unguibus foedis trahunt.
Sim. Et ista somni forma, quam vidit miser
Captivus, olim regiae structor dapis:
Sicutque vatis dixerat vox praescia,
Cum tertio purpurea curriculo diem
Proferret Eos, horrida pendens cruce
Avidas volucres artubus pavit suis.
Iud. Septem superbas corpore eximio boves
Niliaca profert unda, quas ripam gravi
Pede metientes graminum pascit viror.
Sequuntur aliae, pigra quas genuit palus,
Macie iuvencae squallidae, numero pari,
Quae simul ad eadem repserant aegre loca,
Illas opimas lurido rictu vorant.
Septem beatae pondere in terram suo

Vergunt aristae: flavus est illis color.
Totidem sed alios video contiguos solo,
Sitiente culmos mergite, exsuccos, leves,
Quos aestuosus solis exhausit vapor.
Et virus horum nobiles spicas necat.
Quis iste in ostro talia aspectat iacens?
Sim. Rex ipse; namque huic fruge felici uberes
Septem, atque septem segetis infaustae notat
Annos latente noctis effigie Deus
Sed nemo nodos potuit hos evolvere,
Nisi ille, quem rex carcere eductum horrido
Ob id secundum culmini fecit suo.
Iud. Agnosco pictum byssino cultu: trahit
Eburnus illum currus: in laeva micat
Radiatus adamas, torquis insigne aureum
Dependet humeris: pronus in faciem iacens
Adorat illum populus, et laudes canit.
Sed quae illa triplici classe distincta agmina?
Succincta tunicis prima pars: pars altera
Sudat sub armis: carbaso pars tertia
A capite ad imos candida tegitur pedes.
Sim. Quoscunque populos claustra regnorum Philae
Cohibent et ingens Nilus et Nili mare,
Hos docuit ille in genera partiri tria,
Et distributas singulis artes novis
Auxit repertis. En aratores habet
Sors prima, et operas vita quarum usu viget.
Monstravit ille spumeam vim fluminis
Attollere in sublime circuitae rotae

V. 257. Philae insula Nili in Aegypto superiori.

Non constituro mobilis vestigio.
En rursus alii, hospitibus admirabile,
Tractant farinam pedibus, et manibus lutum.
Secundus ordo miles; hunc alto otio
Agitare bellum docuit. Hi vallum ferunt:
Currunt in armis alii, et in palum graves
Meditantur ictus; pars equi non mitibus
Urgent lupatis ora, et in gyrum trahunt.
Currus at aliis regere falcigeros labor.
Pars iusta castris spatia dimensi, parant
Munire fossis et superiecto aggere.
Hos contus ingens armat: his nervo sonans
Sinuatur arcus; hi securigera manu
Ferire discunt; cernis in dextram modo,
Modo in sinistram tota versari agmina?
Modo explicatur frons, modo in cuneum coit.
Dicata sacris tertia est hominum cohors,
Quam gaza regis oneris exsortes alit.
Nec hos, Sabaeos crede tantum altaribus
Adolere odores; quin Sophompanea duce
Quaerunt vagantes quid retro stellas agat,
Cur Cancri ad orbem longior soli mora:
Idemne semper ursa destiterit polo:
Quae caussa caelum siderum partu novo
Foecundet: et consilia rimantur Dei
Per omne Mundi, quanta natura est, opus.
Formas quoque illas pulveri inscriptas vides?
Ibi triquetrus disputant quantum ambitus
Contineat aequor: orbe sit quanto minor
Quae media fines linea attingit duos.

Tum quicquid egit fortiter bello Pharos,
Aut pace placide: quicquid Aegypto utile
Sanxere leges: Memphide et regnantium
A Mesore primo nomina, et populi truces
Motus in alta mole pyramidum notant,
Rerum exprimentes signa, non vocum sonos.
Iud. Quid illa sibi vult tabula, generosi ducis
Ubi plebs ad aulam pallida ac trepidans coit?
Sim. Res magna regis agitur. Ut primum fidem
Segeti abnegavit annus, esurire exciti
Mancipia vendunt Cerere, quam rex horreis,
Dum larga messis fuerat, abdiderat suis,
Hoc vate monitus. Saevior postquam fames
Momordit artus, adferunt pretium boves,
Et quicquid herbis pascitur laetis pecus:
At mox et agros: deinde ius etiam sui.
Sic cuncta magnus arva quae Nilus videt,
Demtis sacrato dicta quae fuerant choro,
Hominumque venit turba sub regis manum:
Quos ille (namque id columen imperii fore
Dux aestimavit) linquere a proavis diu
Habitata iussit arva, et aliena in loca
Misit colonos. *Iud.* Proh viri sapientiam,
Sive illa ab usu, sive de coelo data est.
Sed ne illa nobis obsit, haud frustra mihi
Cor timet; ab ipso multa nesciri velim.
Sim. Spatium quod ultra porticus tergum domus
Spectans recedit, nil habet, te quod iuvet
Inspicere; saeclis cuncta quae populo Phari
Venient futuris fata, mens ibi praescia

Diposuit; illa mersa nunc caligine,
Intelligentur cum fidem faciet dies.
Et iam diu nos pavidus exspectat puer.

Chorus.

Nile, seu Siris potius vocaris,
Sive te nostri melius parenes
Astapum dicunt, vaga cuius unda
Fontis ignoto veniens ab ortu,
Vasta qua squallent loca se profundas
Abdit in terras, hominique nata
Rursus emergit, scopulique ab alti
Lapsa bis saxo violenta murmur
Iactat horrendum, bifidoque cursu
Lambit Aegyptum latere ex utroque,
Donec immensis procul evoluta
Ostiis findit mare; quid profabor,
Virgo, doctorum grege dissidente,
Saepe qui magni ducis advocati
Ad dapes aures tetigere nostras?
Quas tibi dicam nocuisse causas,
Quod Pharum quondam solitus rigare,
Imbris ut fusi nihil indigeret,
Sirio quamvis toties vocante
Vincere octonos cubitos recusas?
Solis an iunctis veniens ab astris
In modum crevit calor auctiorem,

V. 327. Chorus constat versibus Sapphicis. Siris (Σῖρις) nomen Nili Aethiopicum. Astapus (Ἀστάπους, ου) flumen Aethiopiae (album), nunc Abiad.

Quem credidit periisse, non me vivere
Tantum, sed alta sede sublimem, inclutum,
Sedere, lateque opibus aggestis frui.
Potentiae omnes este participes meae.
Felicitatem referat acceptam mihi,
Cui debeo ortum, veniat et videat parens
Desideratum pectori natum suo.
Opima vestris pascua armentis dabo,
Herbisque Phariis crescet Isaci pecus.
Quam vestra, fratres! colla, non visi mihi
Totos per annos bis decem, amplecti libet:
Tuasque similes Beniamin cerae comas
Contingere, innexumque cervici manu
Haerere utraque: gaudio manant genae,
Hilarisque fletus vocis occlusit viam.
Beniam. Salve, Rachelis dividens mecum genus,
Reperte frater mihi nec optanti quidem:
Tuere me, puerum vir, afflictum potens:
Quali Pharum regis arte, germanum rege:
Et hos amoris, quaeso, non ficti indices
Permitte fletus collo ut infundam tuo.
Ios. O mihi nunquam sperata dies,
Gaudia per te quam magna fero!
Beniam. Iam me nec iter longum Sicimis
Vectum ad Nili poenitet urbes,
Nec percussum crimine falso
Vincla innocua gessisse manu.
Ios. Fratrum in te animus mihi non certo

V. 114. Qui sequuntur versus sunt anapaestici.

Notus in hos me compulit astus.
Doleo tibi, quod mala, quodque metum
Tulit illorum spectata fides.
Beniam. Magnum est, fratres purgasse suos.
Isto pretio mihi cuncta placent.
Ios. Iam vita mihi dulcior, ex quo
Fratres licuit reperire pios.
Non illa mihi tam laeta dies
Quo deserui carceris umbram,
Quo me patrem rex ipse suum
Memphisque simul tota vocavit.
Beniam. Bona cum specto tua, mi frater,
Sentio laetos pectore motus.
Ios. Mea quae cernis, tua sunt, frater.
Beniam. Haec quam noster gaudeat una
Spectare senex!
Ios. Veniet, veniet: nec longa mora est.
Ibitis illuc cum magnifica
Missi pompa, ducis excelsi
Quae legatos fratresque decet.
Sed his fruendi gaudiis longum satis
Tempus sequetur; hora nunc mea me vocat,
Qua soleo regi dicere affatu brevi
Quae digna sciri quaeque portavit dies.
Adeste, nostrum quos amat comites latus.

Iudas. Ruben. Beniamin.

Iud. Quanquam carere me iubent omni metu
Pietas benigni fratris et constans fides:
Tamen innocentis vultus ipse habiti male,

Animusque diri facinoris nondum immemor,
Adeo stupori tradidit me exterritum,
Ut verba post non multa, quae vix extudi,
Nihil valuerim tempore in tanto loqui.
Nunc te precamur, ille quem inprimis amat,
Unius uteri germen, insontem, probum:
Illum propitium fratribus praesta, et pium
Placamen esto; te ille respiciens, tibi
Favens, peracti fida bibat oblivia.
Rub. Quae verba Iudas dixit, ea crede omnium.
Si quid tibi unquam fecimus fratres boni,
Id nunc repende: munus hoc facile est tibi,
Magnumque nobis; da quod aeternum iuvet
Miminisse; sic te videat incolumis pater.
Beniam. Nihil est opus, ceu video: sed nostram tamen
Desiderari fratribus caris opem
Non patiar: ita me instituit abeuntem pater.
O nate, nullos oderis: sed ames tamen
Summe, inquiebat, sanguine advinctos tibi.
Hos ut retineas fac, nec officiis modo,
Sed et ferendo. Patruus talis fuit
Lotho Abrahamus: quippe quem captum ut fero
Eximeret hosti, praelio obiecit caput,
Et spolia regum quattuor retulit domum:
Litemque fugiens finium, toto procul
Ortu relicto petiit occiduum latus.
Sic Ismaelem ventre servili satum
Sibi gravem patienter Isacus tulit.
Ut me quoque addam, cum truce ingenio minax
Iugulo immineret frater Esavus meo,

Totos per annos bis decem erravi vagus,
Extorris, exsul, temporis longi ut mora
Lassaret iras; et redux, quanquam innocens,
Donis et humili lenii tumidum prece.
Haec monita patris optimi non memoria
Tantum fideli colere, sed factis volo.
Iud. Egregia certe pignora enixa est Rachel.

Chorus.

Rumor candidus ad meas
Aures protinus advolans
Inventos modo Praesidi
Fratres nuntiat undecim.
Gaudet pontificum genus
Magni filia Putiphrae
Claram nosse viri domum
Ortam sanguine nobili:
Quorum olim veteres avi
Illis progeniti locis,
Euphrates ubi diluens
Glebae sumen, et alitis
Teli praeveniens fugam
Tigris, bis sociant aquas.
Illa sumserat ex humo
Limum, quem Deus ad suam
Ductum finxit imaginem,

V. 186. Chorus habet versus Glyconeos, qui constant ex basi (spondeo) et choriambo, quem sequitur pyrrichius vel iambus: –́ –́ | –́ ◡ ◡ — ◡ ◡̄.

Et sitim tellus mea sentit altrix,
Nec suas amni pluvias refundit?
An tuos natum vegetare cursus
Mercuri velox hebetavit astrum
Stella Saturni pigra? num gelatus
Occidens vernos Zephyros retentat,
Qui tuum toto pelago retundunt
Flumen, et cogunt superare ripas?
An cadens in se vetera abnegavit
In tuos cursus alimenta tellus,
Dum quod Atlantis iuga pulsat omnem
Ambiens mundum mare, per cavernas
Abditas caeco vetat ire fluctu,
Aut via labi prohibet latente
Qui tibi furtim sociantur amnes?
Ista ni fallor, nimium periti
Quaeritis frustra. Deus orbis auctor
Ipse, cum terris male mixtus humor
Littore et ripis didicit teneri,
Fecit et Nilum, propriaque vinxit
Lege, quam culpas hominum perosus
Mutat, et monstris mala saecla terrens,
Tentat in rectum revocare gentes.

Actus quartus.

Iosephus. Iudas. Beniamin.

Ios. Abripite puero vincula, ut respondeat
Liberius: et vos corporis comites mei,

Et fida famuli turba, vosque o Nubides,
Abstate. Sunt quae solus hospitibus loquar.
Vivitne genitor ille, quem dixtis, senex?
Iud. Vivum reliqui, regna cum peterem Phari.
Ios. Quot eius aetas annuos cursus habet?
Iud. Orbes peregit prope ter et decies decem.
Ios. Aetasne tam declivis a morbo vacat?
Iud. Moerore demto nullum habet morbi genus.
Ios. Hunc ergo puerum moeret abductum sibi?
Iud. Est alius etiam qui senem torquet dolor.
Ios. Licetne scire? nam senex pater et mihi est.
Iud. Dixisse memini; filium amissum dolet.
Ios. Quae saeva patri filium sors abstulit?
Iud. Id scire oportet cuncta cernentem Deum.
Ios. Testem invocasti rite, quem fugiat nihil.
Iud. Certum docere nemo nos hominum potest.
Ios. Permulta saepe ignota detexit dies.
Iud. O si ulla praestet hoc quod optamus dies!
Ios. Velletis illum forte restitui patri.
Ind. Sic liceat emere hoc morte, non faciam moram.
Ios. Adeone patris proximus cordi fuit?
Iud. Ut nullus ullum genitor adamarit magis.
Ios. Animo probo quod esset, et nulli invidens?
Iud. Et quia bonam spem dederat egregia indoles.
Ios. Quid visa vobis regna pollentis Phari?
Iud. Nihil illa cedunt optimis Syriae locis.
Ios. Etiamne regimen placet et imperii modus?
Iud. Miranda vero cuncta, te imprimis duce.
Ios. Velletis et vos his locis considere?
Iud. Ob multa: primum ne ingruat rursum fames.

Ios. Et vos quid ergo cogit hinc discedere?
Iud. Domi relictus, non relinquendus, pater.
Ios. An huc et ipse posset adduci senex?
Iud. Illius est statuere: parere est meum.
Ios. Amore forte filii huc posset trahi.
Iud. Nam carus illi fuit et hic semper puer.
Ios. Quod nomen illi genitor imposuit? rogo.
Iud. Iussu vocari Beniamin patrio solet.
Ios. Dextrae potentis omen isto in nomine est.
Iud. Quid hoc? Hebraeae percipis linguae sonum?
Ios. Et ipse vestris adfui quondam locis.
Iud. Huc quae tulit te caussa, si fas quaerere est?
Ios. Iniquus in me livor, inclemens fera.
Iud. Non illa nostro pestis ignota est solo.
Ios. Vendine et illic liberum corpus solet?
Iud. Hoc mos et acri scita supplicio vetant.
Ios. Sed multa fieri video, quae leges vetant.
Iud. Sed quae, nisi homines puniant, punit Deus.
Ios. Iam dic quod illi nomen amisso fuit.
Iud. Iosephus; hoc egregius imposuit parens.
Ios. Vestri quid illud voce sermonis notat?
Iud. Significat incrementa felicis domus:
Ios. Res saepe respondere nominibus solet.
Iud. Sed hoc inane nomen eventus docet.
Ios. Ne temere desperate; nil durum Deo.
Iud. Utinam, sed insperata, det nobis Deus!
Ios. Dedit, et dabit. Respicite me, fratres mei.
Iosephus ego sum; nomen Aegyptus mihi
Imposuit aliud; quam meam sortem auxerit
Fautor Deus, videtis. Ex animo procul

Dothan, minaeque mortis, et tristis specus,
Et Arabes, abeant. Somniis constat fides.
Satis hoc: nec aliud maius a vobis volo.
Iud. Generose praeses: non enim fratrem audeam
Vocare, quia nos conscius culpae pudor
In te arguit fecisse fraternum nihil:
Iterum voluti, supplices, miserabiles,
Ad tua iacemus genua: non ut te fami
Nostrae, sed ut te tumet opponas tibi.
Ignosce; longis fessus aerumnis pater
Hoc ipse, si vis, postulat: si vis, rogat.
Ios. Abiicite curas; poscitis sera prece
Quod impetratum est. Hoc quoque est nimium leve,
Donare culpam; frater ut fratres amo,
Cum Beniaminem video sincera fide
Vobis amari, scire quod noster diu
Per flexuosas quaerit ambages labor.
Ne cruciet hoc vos, exitus felicitas
Meretur. Est cur gratias vobis agam,
Per quos honores proximos regno tuli.
Qui cuncta fecit, cuncta qui vigili Deus
Oculo intuetur, nilque sine cura sinit,
Et eminus consilia disponit sua,
Vobis futurum sospitatorem ac patri
Praemisit huc me. Quod Pharum torquet fames
Alique Pharia fruge qui circum solent
Populi, secundae tempus aestatis fugit.
Aliae supersunt quinque non steriles minus.
Ite ergo, patri fata deflenti mea
Portate laeti nuntium insperabilem,

Patrum qui fieret pater,
In quo gens hominum sui
Census terminat ordinem.
Tunc senos operis dies
Clausit, rebus et ultimam
Factis imposuit manum,
Maius nil meditans Deus.
Illi namque animum suo
Flatu largus et os dedit
Quod coelestia cerneret.
Mox, ut progenies diu
Multa in saecula viveret,
Partem de latere eripit:
E qua se exhibuit viro
Pulchri foemina corporis.
Hanc cernens, simul ut sopor
Mollis membra reliquerat,
Flammari sibi vir novis
Sensit corda caloribus.
Hinc est coniugii fides
Omni foedere sanctior:
Proles unde venit, patri
Semper nomen amabile,
Maternoque bibens puer
Venam lactis ab ubere.
Fratrum proximus est amor,
Ortus semina quos ligant
Quales comparibus suis
Colludunt celeres equi:
Aut commune iugum trahunt

Nexu individuo boves.
O si me impositum suis
Pennis cinnama olentibus
Coeli pura per aequora
Phoenix avehat, unica
Mundo semper avis, ferens
In Solis nimia face
Succensa Aethiopum loca,
Fratres ut videam meos.
Sed ecce ditis dominus Aegypti venit,
Et Solis aequat igne praelato iubar.

Actus quintus.

Pharao. Iosephus. Iudas. Chorus.

Tibi gratulatus, nunc et uxori tuae
Affinitatis decore, cumulatam domum
Volo gratulari. Nulla par meritis tuis
Potest referri gratia: auxilio tuo
Curis levatus, libere regno fruor.
Tibi salutem debet Aegyptus suam,
Et ego quietem; cuncta quod non a viris
Deserta squallent arva, quod terris nova
Spes manet aratri, muneris totum tui est.
Ideoque honores ad tuos addi volo,
Ut more Eoae gentis, astriferae plagae
In spatia venias nominis titulo tui,
Grandisque meriti grande monumentum ferat
Agricola taurus arce siderea micans,

Sicut propinquas arietis stellas tenet
Inscriptus Hammon Mesoris antiqui pater.
Ios. In me tot atque tanta congessit tua,
Rex magne, bonitas, ut magis demi velim
Quam pondus addi. Cur adhuc aliquid tamen
Cogar precari, caussa sunt fratres mei,
Et, quem relicto fine telluris Syrae
Optem huc venire fratribus comitem, pater.
Agitare pecudes patrius est illis labor.
Non procul ab urbe cui suum nomen sator
Dedit diei, laeta graminibus iacet
Regio, virensque pabulo semper novo:
Gosena vocitant accolae Pelusii.
Haec tota periit usibus mortalium
Huc usque tellus, inde quod populi tui
Displiceat animis cura versandi gregis.
Haec vacua nostro prata si generi dabis,
Promitto id ipsis utile ac Phariis fore.
Iamque ecce ipsos, quod ego te verbis rogo,
Gestu rogantes, corpora instratos solo.
Iud. Vivat beatus dominus opulentae Phari.
Phar. Surgite: dabuntur herbidi sedes soli;
Et qui parentem, qui domum totam vehant
Currus quadriiuges, quosque iter poscit cibos,
Quaeque optima edit arborum partu ferax
Niliaca tellus, dona longaevo seni.
Ios. Patere hoc ut addam. Liberos homines vides,
Qui sponte veniunt in potestatem tuam.
Ne sacra patribus tradita et generis sui
Mutare ritus, longa quos aetas probat,

Cogantur unquam. Tum, migrare his finibus
Si libeat, aut quod aliquid acciderit grave,
Aut quod vocet spes melior, id nemo vetet.
Ita purus aer semper Aegyptum beet,
Iustumque servet Nilus augmenti modum,
Multaque matres prole tellurem impleant,
Et sceptra nunquam posteris abeant tuis.
Phar. Iuro potentem cuncta moderari Deum,
Meumque caput hoc obligo, et seros mei
Generis nepotes, semper Hebraeis sui
Arbitria ritus, exitus tutos fore.
Hanc siquis olim rex Phari rumpat fidem,
Nilus cruentas turbidas spumas agens
Pelagus coloret; turpis animantum lues
Nascatur, undis pariter et terrae gravis.
Morbi furentis virus exanimet greges:
Herbis viror decedat: urantur sata:
Nec arbor umbras ulla, nec fructus ferat.
Ulceribus homines torridis vexet dolor.
Obsideat atra, quantaque infernae est plagae
Caligo, coelum: noxque, non medio die,
Noctem sequatur. Prole populata, domos
Eat per omnes luctus: id si non sat est,
Nereus quoque ipse legis exsorti vado
Ruat, atque totos sorbeat mare.
Ios. Non erit Hebraeos hospites nullum tibi
Habuisse pretium, terra locupletis Phari.
Nam dum pium Deoque dilectum genus
Clemens fovebis, cuncta tibi votum fluent
Supra, tuisque se dabit famulam usibus

Natura. Venient saecla, cum nostra incluti
De gente reges Memphidos foedus colent,
Inque Israelis sceptra matre Aegyptia
Quaeretur haeres; rursus in regnum Phari
Stirpe ex Hebraea, moenia implentes nova,
Aderunt coloni. Post ubi lapsus polo
Tot ille vatum dictus ante oraculis
Reparator orbis atque pietatis parens
Mortalium res viset, hic tutos sibi
Quaeret recessus, fidaque exilio loca.
Leges Hebraeis ille communes meis
Nilique populo ponet, et miscens sacra
Docebit uno more venerari Deum.
Chor. Ventet et ad nos tam grande bonum:
Et coelestis melior Phoebo
Calor Aethiopum corda perurat.

Addenda et corrigenda.

Pag. 41. ad v. 174. annotantis verba: *vel* et quae sequuntur ad punctum usque, delenda sunt. — Pag. 134. *ad* v. 118. Respicit ad Sennacheribum regem Assyriorum, quem Adramelech et Sarazar eius filii gladio peremerunt in templo preces facientem. V. Reg. IV, 19, 37. — **Pag. 139.** ad v. 14. Male notus i. e. vix notus. Cf. Ovid. Met. XV, 380: male viva caro. — Pag. 140. ad v. 20. Perdidit h. e. patravit frustra (tantum nefas). — Ib. ad. v. 23. Virtus sc. qua mira ac bene faciebam. — Ib. ad. v. 34. deleta parenthesi adde: qui Sadocum, Antigoni discipulum, habuerunt sectae auctorem. Cf. Act. Apost. XXIII, 3. Cum his faciebant divites ac nobiles. v. Jos. Antiq. Jud. XIII, 10, 6. — Pag. 141. ad 2. Pro virtus lege virus. — Pag. 144. ad v. 150. Lege: Buccinae. — Ib. ad. v. 151. Illa nocte, qua Pascha celebrabatur, templi portae non claudebantur, ut narrat Jos. Antiq. Jud.. XVIII, 2, 1. — Pag 145. ad v. 161. Pretiosius balsami genus ex ramis sponte stillat nullo vulnere, resinae modo. — Ib. ad v. 168. Cf. Deut. XXXIV, 5: Mortuusque est ibi Moyses servus Domini in terra Moab iubente Domino, et sepelivit eum in valle terrae Moab contra Phogor, et non cognovit homo sepulchrum

eius usque in praesentem diem. — Ib. ad v. 169. Post solis occasum populi solent orientales ingredi itinera.— Ib. ad v. 173 adde notae fini: cum portu vicino nominis eiusdem, unde dicta lamne gemina. — Ib. ad v. 174. Caparorsa (Καπαρόρσα) urbs Idumaeae ad occidentem Iordanis. *Ptolem.* — Ib. ad v. 176. adde: Nunc Coelesyriae, nunc Phoeniciae, nunc annumerata est Decapoli, cuius caput erat. Cf. Plin. Hist. Nat. V, 18. — Pag. 146. ad v. 168. Respicit ad vitri originem, quam narrat Plin. Hist. Nat. XXXVI, 26. Cf. ib. V, 20: Belus vitri fertiles arenas parvo litori miscens. — Pag. 147. ad v. 297. post Nilum adde: et mare mortuum. — Ib. ad v. 220. quae annotata sunt dele. Loquitur de libertate, quam adepti sunt Israelitae ipso exitu, relicta Aegypto. —Pag. 148. ad v. 229. Verius: Culta Tauri (sc. loca) h. e. regio Tauri montis habitata. — Pag. 150. ad v. 21. Lege: mendacia. — Ib. ad v. 33. Solo sc. Aegypti impositus vocanti Nilum, fertilitatem largientem, ut occurreret fami. — Ib. ad v. 40. Rabies sc. tumultus populi in deserto Arabiae seditio atque ejusque vindicta Exciderunt h. e. frustra fuerunt. — Ib. ad v. 44. Tac. Hist. V, 9: Romanorum primus Cn. Pompeius Iudaeos domuit, templumque iure victoriae ingressus est. Inde vulgatum, nulla intus Deum effigie, vacuam sedem, inania arcana. — Pag. 152. v. 100. Legendum esse arbitror languido. — Pag. 154. v. 141. lege sontem. — Pag. 158. ad v. 250. Victrices nempe Aristobuli regis Iudaeorum manus devicit Cn. Pompeius, Alexandri vero, Arist obuli filii, copias Gabinius Proconsul superavit ad Itabyrium montem. — Pag. 161. ad v. 48. Alludit ad seditionem atque interitum Dathanis et Abironis, quos terra vivos absorbuit. Cf. Mos. IV, 16. — Pag. 163. ad v. 88. dele comma in fine versus. — Ib. ad v. 98. Renovavit vel redintegravit templum Herodes Magnus, cuius filius Herodes Antipas, tetrarcha Galilaeae, hoc ipso tempore Hierosolyma erat profectus ad festum. —

Pag. 166. ad v. 186. in annot. adde post Elias: seu Ieremias. — Pag. 170. ad v. 18. adiice: Ibi natus erat Battus, qui Cyrenen urbem condidit. Cf. p. 148. ad v. 223. Ss. Evangelistae Simonem vocant Cyrenaeum. — Pag. 174. v. 143. post amici interpunge commate. — Pag. 178. ad v. 247: luce cassum i. e. mortuum, ut lumine cassus vel aethere cassus apud Virg. — Pag. 182. ad v. 344. Dionysii Areopagitae haec verba fuisse, cum Heliopoli in Aegypto qua Jesus obiit die plena luna mirandum solis defectum contemplaretur, narratur in ejusd. Epist. VII, §. 2. — Pag. 191. v. 221. post tuus commate interpungendum. — Ib. v. 235. significatur Sara, Abrahami uxor. Cf. Gen. XVIII, 10. — Pag. 198. v. 19. procul dubio legendum: manu. — Pag. 206. v. 22. et 23. post Inanis et Res delenda esse commata censeo. — Pag. 212. v. 172. legendum adveniret. — Pag. 214. v. 219. post Taautae interpunge commate. — Pag. 228. v. 329. lege parentes. — Pag. 230. v. 22. lege Si. — Pag. 235. v. 162. lege meminisse. — Pag. 239. v. 24. significatur Heliopolis. Pag. 228. ad. v. 327 sqq. Respicit Nili descriptionem ap. Plin. Hist. Nat. v, 9: Nilus incertis ortus fontibus, ut per deserta et ardentia, et immenso longitudinis spatio ambulans, et quia fama tantum inermi quaesitus sine bellis, quae caeteras omnes terras invenere, originem, ut Juba rex potuit exquirere, in monte inferioris Mauritaniae non procul Oceano habet, lacu protinus stagnante, quem vocant Nilidem . . . Praeterea observatum est, prout in Mauritania nives imbresve satiaverint, ita Nilum increscere. Ex hoc lacu profusus indignatur fluere per arenosa et squalentia, conditque se aliquot dierum itinere. Mox alio lacu maiore, in Caesariensis Mauritaniae gente Massaesylum erumpit, et hominum coetus veluti circumspicit, iisdem animalium argumentis: iterum arenis receptus conditur rursus xx. dierum desertis ad proximos Aethiopas: atque ubi iterum senserit hominem, prosilit, fonte (ut

verisimile est) illo, quem Nigrin vocavere. Inde Africam ab Athiopia dispescens, etiamsi non protinus populis, feris tamen et belluis frequens, silvarumque opifex, medios Aethiopas secat, cognominatus Astapus, quod illarum gentium lingua significat aquam e tenebris profluentem. Insulas ita innumeras spargit, quasdamque tam vastae magnitudinis, ut quanquam rapida celeritate, tamen dierum quinque cursu non breviore transvolet: circa clarissimam earum Meroen, Astaboras laevo alveo dictus; hoc est ramus aquae venientis e tenebris: dextero vero Astusapes, quod latentis significationem adiicit: nec ante Nilus, quam se totum aquis concordibus rursus iunxit. Sic quoque etiamnum Siris, ut ante nominatus per aliquot millia, et in totum Homero Aegyptus, aliisque Triton: subinde insulis impactus, totidem incitatus irritamentis: postremo inclusus montibus, nec alibi torrentior, vectus aquis properantibus ad locum Aethiopum, qui Catadupa vocatur, novissimo cataracte inter occursantes scopulos non fluere immenso fragore creditur, sed ruere. Postea lenis et confractis aquis, domitaque violentia, aliquid et spatio fessus, multis quamvis faucibus in Aegyptium mare se evomit. Certis tamen diebus auctu magno per totam spatiatus Aegyptum, fecundus innatat terrae. Causas huius incrementi varias prodidere, sed maxime probabiles. Etesiarum eo tempore ex adverso flantium repercussum, ultro in ora acto mari; aut imbres Aethiopiae aestivos iisdem Etesiis nubila illo ferentibus e reliquo orbe. Timaeus Mathematicus occultam protulit rationem: Phialam appellari fontem eius, mergique in cuniculos, ipsum amnem, vapore anhelantem fumidis cautibus ubi conditur. Verum Sole per eos dies cominus facto, extrahi ardoris vi, et suspensum abundare, ac rursum ne devoretur abscondi. Id evenire a Canis ortu, per introitum Solis in Leonem, contra perpendiculum fontis sidere stante, cum in eo tractu

absumantur umbrae. Plerisque e diverso opinatis largiorem fluere, ad Septentrionem Sole discedente, quod in Cancro et Leone evenit; ideoque tunc minus siccari. Rursus in Capricornum et Austrinum polum reverso sorberi; et ob id parcius fluere . . . Incipit crescere Luna nova, quaecunque post solstitium est, sensim modiceque Cancrum Sole transeunte; abundantissime autem Leonem. Et residit in Virgine, iisdem, quibus accrevit, modis. In totum autem revocatur intra ripas in Libra, ut tradit Herodotus, centesimo die. Cum crescit, reges aut praefectos navigare eo, nefas iudicatum est. Auctus eius per puteos mensurae notis deprehenduntur. Iustum incrementum est cubitorum XVI. Minores aquae non omnia rigant: ampliores detinent, tardius recedendo. Hae serendi tempora absumunt solo madente: illae non dant sitiente. Utrumque reputat provincia. In duodecim cubitis famem sentit, in tredecim etiamnum esurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt: quindecim securitatem; sexdecim delicias.



